

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
B
4
NAPOLI



Digitized by Google

XXIII
B
4

2/



SPECIMEN DOCTRINÆ VETERUM SINARUM MORALIS *ET* POLITICÆ;

TANQUAM EXEMPLUM PHILOSOPHIÆ GENTIUM AD REMPUBLICAM APPLICATÆ: EXCERPTUM LIBELLIS SINICÆ GENTI CLASSICIS, *CONFUCII* SIVE *DICTA*, SIVE *FACTA* COMPLEXIS.

Accedit de Litteratura Sinensi dissertatio Extemporalis.

OPERA
GEORGII BERNHARDI BÜLFFINGERI,
Moral. & Mathes. in Collegio Illustri Tubingensi Prof. ord.

FRANCOFURTI ad MOENUM.
Apud J. B. ANDREÆ & H. HORT.
M DCCXXIV.

VIRO
PERILLUSTRI, GENEROSISSIMO,
ATQUE
EXCELLENTISSIMO,
DOMINO,
IOANNI HENRICO
S. R. J. LIB. BAR.
DE
SCHÜZ;
DOMINO IN ADELSBERG,
PFLOMMERN, ET DEIFRINGEN,
RELIQUA;

SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE

WÜRTEMBERGIÆ DUCIS

A CONSILIIS STATUS

INTIMIS,

EJUSDEMQUE

AD COMITIA S. R. IMPERII

RATISBONENSIA

LEGATO SPLENDI-

DISSIMO,

PRÆSTANTIORUM LITTERARUM


PROMOTORI INTELLIGEN-

TISSIMO,

DOMINO SUO ET MÆ-

CENATI PERQUAM GRA-

TIOSO.



DOMINE PER-ILLVSTRIS, GE-NEROSISSIME, ATQUE EXCELLENTISSIME.

NOn id ſine exemplo eſt, ſed rarum tamen, ut VIRIS ad Reipublicæ gubernacula ſedentibus offerri ſcripta contingat philoſophica: Tantum ſcilicet ab ea tem-

porum felicitate Litterati descive-
runt, qua nullum inter litteras &
regendi prudentiam divortium pu-
blica consuetudine approbatum fue-
rat antiquitus. TVVM id opus
erit, VIR EXCELLENTIS-
SIME, si pristina sororum con-
cordia postliminio reducta dignatio-
nem, litteris atque in Magnatum ædes
accessum fecerit liberiorem.

CONSILIUM, quo excutiendos
esse Veterum Annales statuisti, &
inquirendum Philosophiæ antiquæ
in Republica usum, diversis ten-
tatum gentibus, est ejusmodi, ut
manifesta sui in Re publica & litte-
raria utilitate desiderium unicuique
ingeneret, aut visendi aut omni-
no tentandi ejus generis labo-
rem.

Utrum-

Utrumque illud vel ego expertus ſum, ubi primum intelligere gratioſiſſimam illam TVAM, & rei litterariæ auſpicatiſſimam, voluntatem licuit. Immemor virium, negotio imparium, aggredior operis partem, quam ceteris tamen & faciliorem, & inſtituto accommodatiorem opinatus fui: ſufficiens illud, & plane abundans operæ pretium exiſtimaturus, qui obſequium TIBI & cultum, quem venerabundus debeo, demiſſiſſimum vel conando liceat approbare.

Inſcribo opuſculum TVO NOMINI, quod TE, VIR EXCELLENTISSIME, judicem præceptorum ſuorum vel CONFUCIUS admiſerit; SINICE nimirum judicare valet, quicunque

normam poteſt a ſuo ipſius exemplo deſumere.

Non id ſingulatim demonſtrare licet homini ſcholaſtico: Præſtat eminus virtutem in ſublimi poſitam ſuſpicere; præſtat hæſitabundo illam ſilentio venerari, quam ſermone humili, & ad meritorum amplitudinem haud quaquam aſſurgente taminare illam potius, quam illuſtrare. Neſcio tamen, an poſteri id teſtimonium poſſint aut negligere, aut ingenioſa cavillatione eludere, cum viderint, tantam de TVA virtutum Excellentia fiduciam fuiſſe publicam, ut vel SINICA de MINISTRIS Principum præcepta, ardua ſane & difficilia, TVO etiam NOMINE inſcripta divulgare licuerit.

Eſt locus, ubi TVAM, PERILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIME DOMINE, Iconem, SINICO delineatam penicillo, conſpicatus fui, & demiſſe veneratus; SERENISSIMO quoque WVRTEMBERGIAE DVCI,

EBERHARDO LVDOVICO,

Domino meo Clementisſimo, felicitatem illam, anxiis ab SINICO Principe votis expetitam, gratulatus devotisſime. Accipe illam non minus, quam ceteras TVARUM Virtutum enarrationes SINICAS; quoniam TVO dudum NOMINE & EXEMPLO commendari poſſunt, quascunque Magnatibus inculcavit CONFVCIUS.

Vidi inter illas etiam, quæ non gravatur judicare subjectos ex suis unumquemque facultatibus, atque omnino indulgere, si qui minus possint, quam velint, suis publico laboribus prodesse. Hoc TVVM est, VIR EXCELLENTISSIME, ex longo tempore, ut vel conantibus favere, & regere minorum quoque operas aut molimina ad utilitatem publicam non dedigneris.

Atque hoc idem est, quo meam facti audaciam Clementiæ TVAE si minus approbare, saltim excusare nitor. Nolim resistere desiderio collocandi operam in parte aliqua INSTITVTI, tanto, quantum Eruditi TVAM EXCELLENTIAM venerantur, judice commendabilis: Sed neque destitutam Patrocinio opellam Politico-Moralem vulgare au-

ausim; TVO præeunte arbitratu applausus reliqui securus vivo.

Indulsisti illam Auctori gloriam gratiosissime, ut TVIS hoc loco auspiciis agere videri possit, & sua TIBI obsequia testari humillime. Si utilia publico aliqua; si ad virtutem commendandam, si ad excitandum Eruditorum in perficiendo utili instituto studium accommoda (ita autem confido) dici contingat: TVVM id beneficium universi agnoscent, & hostimenti loco suos mecum animos conjungent, sociatis precibus divinum pro TVA Incolumitate. Numen deprecaturi; flagitaturi successus Consiliorum, saluti publicæ intentorum, felicissimos; nuncupaturi vota pro perenni GENEROSISSIMAE GENTIS TVAE amplitudine, gloria & splendore.

Com-


Communia hæc Civium vota meritis dudum prælustribus debentur, Bonorum omnium suffragio: Felicitatis est, ejusdemque ex TVA Clementia pendulæ, quod publica ejus rei testimonia edere, atque inter religiosas omnium pro TVA salute preces partem occupare pietatis plenissimam liceat homini amplissimis Gratiæ in se collocatæ demonstrationibus devinctissimo,

PERILLVSTRIS GENEROSISSIMAEQVE

EXCELLENTIAE TVAE

Dab. d. 26. Maji,
clↃ IↃ CC XXIV.

Clienti devotissimo,
Georgio Bernhardo
Bülffingero.



CONSPECTVS OPVSCVLI GENERALIS.

SE-

SE-

❀ (o) ❀

RATIO



RATIO INSTITUTI.

§. 1.

P*Hilosophiam*, *antiquis* cultam Gentibus, diversis haud pauci studiis indagarunt: In *duas* tamen *classes* plerique omnes referri facilè possunt. Alteri *historica* persecuti sunt, *dogmatica* alteri: sectarum *illi* origines, auctores, fata, successionem enarrare instituerunt; *isti* dogmata exponere, impugnare aut defendere. *Utrique multa* publico utilia, scientiis præsertim augendis proficua, exposuerunt: *Posse* tamen *plura* erui, vel eo solo argumento intelligitur, quod *philosophia* veteris *cum Republica comparationem* ex instituto hactenus non attenderint. Duæ classes scriptorum de Philosophia Veteri.

§. 2.

Non excurram latius ab argumento præsenti, neque adeo *singulatim* percensebo, quid in ipsa etiam *historia philosophica* compilatione plerique aberraverint? Est ille *communis cum* Historia *Litteraria* pæne Eorum triplex officium.

Universa defectus, ut, insuper habito atque *deserto* fine *principali*, ad *accessoria* parum cauti operam atque laborem suum plerique transtulerint. Illud, nisi fallor, agendum erat, ut ex historia constaret, 1. *quæ veritates* unoquoque tempore inter homines cognitæ, & demonstratæ fuerint? 2. *quibus* illæ *artificiis* inventæ? 3. *quibus* feliciter *usibus* adhibitæ? *Primum*; ut ne laborem & ætatem excelsa ingenia insumerent in eruenda demum, quam alii dudum retexerant, veritate; sed ingenium exercerent in eadem novis potius accessionibus augenda; quid est elegantius illo *Verulamii*, aut verius? „ Tunc demum homines vires suas noscent, cum non eadem infiniti, sed omissa alii præstabunt „ vide *Impetus Philosophicos* pag. 251. edit. Amstel. An. 1685. *Alterum* ut imitari magnos Viros, & perfringere illorum exemplo objectas hucusque difficultates liceret aliquanto felicius; *Mathematicorum* in evolvendis aliorum scriptis ea cura est, attendere ad artificia non minus, quam ad ipsa Auctorum theoremata, neque illud sterile aut infelix studium esse cotidie experiuntur: *Tertium*, ut maculam scientiis abstergere contingeret, qua inutiles illæ, & rebus gerendis parum accommodæ, jure nonnunquam, aliquando injuria, creduntur. Nihil de eo dicam, quod *sola* hæc via sit, quæ ad judicia de *Antecessorum* Nostrorum *Meri-*

tis legitima, eademque excitandæ *poste-rorum industria* simul inservientia, secure ducat.

§. 3.

Equidem in *Primo* elaboraverunt *aliqui* Eruditorum, & antiqua veterum scita ordine exposuerunt: *Amplior* tamen facti utilitas foret, *si certa* ab ambiguis, à demonstratis probabilia, opiniones, imo suspiciones philosophorum à scientia discrevissent attentius; *si* progressus quoque doctrinatum, successivo labore à conjecturis ad scientiæ certitudinem provectarum, attigissent; *si* generalius institutum, non intra Græcos aut Romanos fines, aut omnino sectæ alicujus, Stoicæ, Epicureæ, Platonicæ, Academicæ, Pythagoricæ placita cum *Justo Lipsio*, *Petro Gassendo*, *Marsilio Ficino*, *Sam. Foucherio*, *Joanne Schæffero* conclusissent, sed ad exteras quoque gentes *Thomæ Stanleji* exemplo extendissent.

Defectus in primo commissi.

§. 4.

Secundam tanto facilius partem *neglexerunt* Viri etiam industrii, quo *pronior* in illo *lapsus* fuerat: Cum enim artificia à Viris scientia illustribus adhibita, haud raro notitiam postulent vitæ, studiorumque & gestorum; accidit, ut fata inquirere Virorum, & vitas scribere, & annos eruere occœperint Eruditi. *Institutum* est vel ideo externe *blandiens*, quod *usum* facti aliquem exempla doceant, & *diffi-*

Defectus in secundo.

cile negotium possit Eruditionis haud proletariæ famam Auctoribus conciliare. Ita vero factum est, ut brevi *omnem* Historiæ philosophicæ *ambitum* ea philosophorum & sectarum notitia, successu ad proferenda scientiarum pomœria parum idoneo, Auctores circumscripserint. Sunt *plura* ejus generis errata in recentissima Historiam Litterariam colendi methodo: sed quæ ad præsens argumentum nihil attinet edisserere. Conf. *omnino* Reverend. Dom. Cancellarii D. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *Introductionem ad historiam Theologiæ Litterariam* Edit. noviss. 1724. in Prolegom. §. 3. p. 15. seq.

§. 5.

Defectus in tertio.

Tertium infelici fato neglectum est publice; neque sciam, qui diserte hoc egerit, ut *Philosophiæ* usus in *Civili* vita, olim aut hodie præstitos, explicate traderet. Libellus est mole exiguus, momento & pondere non vulgaris, quo Philosophicam *Petrus Silvanus Regius* Historiam excussit, indicem subinde digitum eo intendens, ut *vitam Philosophorum* cum doctrina contenderent Lectores soliciti. Demulsit animum lectio opusculi, vel ideo præstantis, quod neglectam aliis partem, etsi in compendio, attingeret. Illud in mentem non venit, *deesse præcipuum* adhuc Philosophiæ fructum: quem illum? *Applicationem* ejus *ad* negotia quo-

que

que *publica*, ad regendos feliciter Cives, ad Imperia ex æquo & justo administranda.

§. 6.

Posses *mirari* insuper id habitum esse *ad nostra usque* tempora: Cum *antiqui* enunciaverint, felices tum demum Respublicas fore, quando aut *Philosophi imperent*, aut *philosophentur Imperantes*. Equidem id dictum est ejusmodi, ut ad Philosophiam *Europaam*, curiosulam illam, & minus gravem, subtilibus maxime quæstiunculis, & extra Civilis vitæ commercium positis fœtam applicari liquido non possit. Igitur id effatum repeti quidem ex consuetudine, & magnifice in Declamationibus laudari, non examinari & perpendi, minus etiam demonstrari contigit. Potuissent alioquin *hoc eloquio* duce in illam eruditi cogitationem incidere, ut attenderent, *an exemplis* id antiqui cognoverint, *an argumentis?* *Primum* eos ad excutiendos veterum gentium annales instigasset: *Alterum* admonuisset de philosophia sua civili vitæ propius accommodanda. *Utrumque* publico egregium, & honorificum fuisset Consilii Auctoribus.

Occasio emendationis neglecta.

§. 7.

Sed vero *alium* hic *defectum* suspicor: Rarior ille casus est, quo scientia abstrusioris philosophiæ & rerum gerendarum prudentia copulantur. *Alteri* subtilia

Caussæ neglectus.

venantur: *Alteri* postulant utilia. Quibus *otium* est & patientia, legendis vel audiendis antecessorum Commentationibus necessaria, illorum quoque animus eam sensim sine sensu formam induere solet, cujus vestigia scriptis & sermonibus suis Auctores intulerunt: Sic illi ut plurimum *aut* antiqua tenent, *aut* ejusdem generis nova prioribus sive substituunt, sive adjungunt; scholæ discentes plerique, non vitæ. Ex adverso, qui *gravioribus* destinantur negotiis, raro tantam sibi patientiam imperare possunt, ut per præliminares spinas & dumeta eousque sese penetrent, ubi fructus liceat percipere laborum & scientiæ. Et quis illud jure exigat, ut, qui gerendis occupantur negotiis, de scientiis quoque ordinandis admoneant homines otiosos, aut illi præcipuè rei perficiendæ admotos?

§. 8.

Merita Magnatum in scientias.

Quoties tamen *cunque* felicibus id fatis accidit, ut scientia quoque rerum philosophicarum præfulgerent, qui rebus gerendis præessent, utile illud scientiis & publico auspicatum fuit. Possem hic in partes vocare ex *recentiori* & *veteri* historia non paucos: Unum è Recentibus *Baconem Verulamium*, Angliæ Cancellarium, allegabimus magno suo merito; Illius enim Viri, hortantis & conantis, operæ

ex

ex multa parte debetur, quod purgatam ineptiis *philosophiam Naturalem*, otiosis veterum vitilitigationibus perfectè dissimilem, & plurimis in vita etiam Civili usibus insignem, hodie possidemus, colimus & perficimus.

§. 9.

Auguror *similia* pro *Morali* philosophia, si fuerint inter Eruditos, qui filum sequi, ab ILLUSTRI MANU porrectum, seu velint, seu possint. CONSILIUM est, ut *Philosophiam Gentium*, quatenus *ad Remp.* gerendam feliciter aut secus applicata est, industrii scriptores colligant. Si mentem assequor, id operis institutum erit, ut ex antiquorum monumentis doctrinæ sapientum inter diversas receptæ gentes eruantur; exponantur perspicuè, ordine, & breviter; inflectantur autem ea methodo, ut simul innotescat, quid publicæ rei attulerint sive commodi bonæ, sive detrimenti periculosæ? *Historicam* illam operam interpretor, *perpetuo* tamen *judicio* distinctam: Alteram partem alteri comitem dari reor, ut mutuo suffultæ certius consistant. *Simile* id *exemplum* foret, quo secuti *Verulamium*, in naturali quoque scientia *historiam judicio* conjungimus, *illam* quidem observationibus atque experimentis contentam, *istud* scientia & conclusionibus exercitum.

Consilium Illustris Viri de Philosophia Gentium ad remp. applicata.

§. 10.

Fructus Consilii in emendanda Philosophia.

Facile id mente unusquisque præcipiat, *usum* facti *multiplicem* fore, si digna consilio opera accesserit, & labor fini responderit. Numerarem inter præcipuos, si Viros scientia præstantes excitare illo stimulo liceret, ut *philosophiam* suam *omnem* niterentur *accommodare* ad utilitatem publicam. *Veteres* aliquos in eo negotio sedulos fuisse, si non aliunde constaret, *Sinarum* certe, & *Lacedæmoniorum* exempla demonstrarent: æmulari illos, evitare nævos tamen, & augere utiliter inventa, quid impedit? *Duo* sunt, quæ communiter *peccari* arbitror: aliqua in propinquo posita negligimus applicare, aliqua non eousque persequimur, ut applicari possint. *Utrique* generi remedia ex antiquis repetere aliquando licet: atque, ubi non licet, ipsa hæc necessitas cognita animum ad inveniendas novas quoque veritates, spero, sollicitabit. Dabimus dicti specimina in decursu ipsius hujus promulsidis, suo conservanda loco, ne nimium præfatio excrescat.

§. 11.

In colligendis Virtutum Exemplis, excitandisque ad imita-

Dum verò excitati hoc stimulo Eruditi suam quoque operam ad juvandam scientiis Reipublicæ curam transferrent: ille certus instituti usus foret, quod *collecta* in fasciculo *exempla* prostarent, & *præcepta* virtutum ac prudentiæ, quot-

cun-

cunque eorum memoriæ conservarunt veterum documenta. Posse *factis Heroum* excitari animos, & instrui quoque feliciter: experientia magistra cognitum est ex longo tempore. Quis nescit, *Maximos Belli Duces*, ingenti numero, exstitisse, quorum domestico, adeoque certiori, testimonio constat, ex Antecessorum gestis ardorem Illos & gloriæ stimulum, sed & prudentiam rerum atque circumspicientiam nactos, imitatos, atque supergressos esse? Nihil dubito de *Civilis* prudentiæ consultis existimare similiter: iisdemque Exempla imitationis ex antiqua ejusmodi historia; Rei autem publicæ illius æmulationis commoda haud vulgaria polliceri. Si *Flavium Vegetium*, si *Sextum Julium Frontinum*, si *Ælianum* milites & militiæ Duces amant, quod *rei bellicæ* præcepta & artes, veterum exemplis in fasciculum collectis, edoceant: Idem in *togatis* artibus, scientia & prudentia, approbari intelligentibus posse non ambigo. Non reipublicæ *facies mutata* est magis, quam bellandi ordo: neque difficilior præceptorum atque exemplorum Civilium ad præsentia tempora applicatio est, quam est altera fortitudinis bellicæ, olim exercitæ, ad præsentem.

tionem Animis.

§. 12.

Eadem ratione ab ejusmodi instituto In Usibus

 etiam rerum la-

tius extendendis. *etiam id* expecto, quod in *Litteraria* Republica ex aliquo tempore deprehensum est perquam utile. Sunt anni forte sexaginta, ex quo commodior simul, atque *amplior* inter Eruditos *communicatio* effloruit, Societatibus partim institutis, partim editis ephemeridibus. Utile id factum fuit, atque inventori Diariorum *Hedonvillio* hodieque gloriosum: *Extracta* sunt *tenebris inventa*, & in publicum vulgata, quæ aut intra paucorum notitiam perstitissent, aut in ipsa manu inventoris jacuissent sterilia, culta deinceps ab aliis, atque usui adhibita publico. Suspicor, esse multa inter Gentium Annales recondita, litteratoribus fortasse aliquibus nota, sed quibus aut non vacet, aut non liceat illa publicis quoque usibus applicare. Si collecta illa vulgari contingeret, eo quidem habitu induta, ut excelsiora Illustrium Virorum Ingenia, hispida sua & hirsuta barbarie, non ab ipso statim limine absterrerent: sperarem, egregia Veterum sive præcepta sive exempla, à situ & pulvere vindicata, capiendis in re dubia consiliis, & judicandis negotiorum eventibus haud infeliciter adhiberi posse. Saltim id *universaliter* usurpari posset, vel declinari, quod remotissimæ loco & tempore gentes utile aut damnosum hac parte compererunt.

§. 13.

Taceo alia, quæ magno numero enarrari possent. *Lucem historiæ* Civili haud parvam ex eo labore inferri posse arbitror. Sunt recentia, Patrum nostrorum ætate, exempla *revolutionum*, in *Gallia*, *Anglia*, & passim, quarum sive caussas sive adjumenta Prudentes è publica quoque doctrina, & morali præcipuè, laxiori æque ac superstitiosa, haud raro repetunt. Inter veteres, vel *Plutarchi* testimonio, *Spartani* exemplo sunt: quorum cum philosophia *Lycurgi* stetit & concidit Respublica. Suppetunt alia quædam ejus generis: & conjicio, etiam plura subinde talia deprehensum iri, quæ nondum publicè ab Eruditis observata sint, & exposita. In eruendis gestorum Civilium caussis.

§. 14.

Ex adverso etiam illud suspicor haud levi conjectura ductus, quin speciminibus etiam nonnullis persuasus: Posse Philosophiæ & *doctrinæ publicæ* faciem, & fata, & periodos, & *inflexiones* haud raro intimius intelligi, & conjici earum momenta, caussasque & origines, & fines denique è mutatis Rerum publicarum formis; facta doctrinæ ad gubernandi rationem accommodatione non infrequenti. *Rara* enim sunt exempla, quale *Nicolao Machiavello* debemus, ut ingenium Monarchiæ ad seditiones us- In detegendis Philosophiæ fatis, & fontibus.

que

que adversum, obtinendo servandoque Principatui leges, & artificia præscribat atque commendet: Frequentiores *Hobbesii*, qui Philosophiam suam & doctrinas Dominatui aptant, apertius aut occultius.

§. 15.

Usus miscellanei. Ut nihil de eo dicam, *posse* Viros cognoscendis hominum ingeniis, atque studiis mirificè inter sese diffidentibus intentos, plurimas ex ejusmodi gentium collatione veritates indagare; *posse* diversos ratiocinandi agendique modos inter se componere; *posse* aliquando ex factis intelligere, quæ, pro suis judicando moribus, impossibilia pronunciassent; *posse* antiquarum & peregrinarum gentium præceptis, exemplis, consiliis, eventibus flectere suorum animos; *posse* antiquorum periculo & erratis discere; & quæ sunt ejus generis infinita, facilè perspicacioribus obvia; quorum planè luculentum, idemque perquam salutare exemplum non ita pridem exhibuit Vir Illustris, *Scipio Maffei* in libello utilissimo, *della Scienza Cavalleresca*, cujus Libro secundo integrum caput octavum huic instituto impendit, ut ex factis & sententiis aliarum gentium, præcipuè Sinarum, ostenderet, quæ sit vera de honore tuendo, & fortitudine, aliis planè speciminibus quam vindicta & duellis demonstran-

ſtranda, hominum ſapientum ſententia. Vid. ejus p. 276---280.

§. 16.

Atqui verò id Ingenii eſt, & doctrinæ non vulgaris, & experientiæ rerum circumſpectioris, ſi quis *omnem* iſtam operam ita velit ſuſcipere, ut enarratas paulò ante utilitates ex iſto labore haud inaniter ſperare liceat: *Erunt* fortaſſe tamen inter Eruditos, quibus neque voluntas deeſt, neque facultas elaborandi in ea parte utiliter, poſtquam de inſtituto admoniti fuerunt. *Facilius* hoc eſt, experiri vires *in ſpecimine*, ut integrum ſit abſtinere manus à ceteris, quibus digne expediendis non ſufficiant. Id niſi liceret, nollem ego quicquam conari, conſcientia imbecillitatis. Viſum eſt verò, *gentem exſtare*, cujus doctrinam difficilè non ſit ea Methodo exponere, ut totam Imperio accommodatam eſſe Lectores conſpiciant. Illam igitur occupare partem, & pro ratione otii, quod parce obtingit, explicare malui, quam ipſi mihi deeſſe, ubi copia facta eſt, approbandi obſequium, & in bonas literas ardorem. *Voluntatem* in poteſtate mea ſolam habeo: illam *conando* demonſtrare licet; etſi ipſum exquiſite opuſculum perficere non liceat homini ab ſufficienti vacatione, ſcientiaq; & adminiculis deſtituto.

Difficultas operis, & facilitas ſpeciminis.

§. 17.

§. 17.

Philosophia Sinica est instituto aptissima.

Sinicam verò Gentem illi instituto plurima commendarunt. Est *Philosophia* illa omnium, quas nosse datum est, *antiquissima*: Est philosophia non privati hominis, sed *universæ gentis*, ejusdemque amplissimæ: Est philosophia gentis à *Civili prudentia* commendatissimæ: Est *classicis* per universum latè patens Imperium *libris* vulgata: Est *ex Imperatorum* antiquissimorum *dictis*, *factisque* composita, & eorundem auctoritate firmata: Est *practica* tota, a subtilitatibus perfecte omnibus pura, & ad regendos comiter ac juste populos ubique accommodata: Est adeoque *nata* quasi & facta *ad præsens* de Philosophia Gentium ad Remp. applicata *Consilium*.

§. 18.

Antiqua scil. ex *Confucii* doctrinis petita.

Loquor autem de *antiqua* Gentis philosophia: *Recentiorem* illi dissimilem confiteor in non paucis. Possent illiusquoque *mutationis* præludia & *origines* attingi, si id locus postularet. Quod præ manibus est specimen, è CONFUCII doctrina totum desumitur: cujus tanta sequioribus etiam temporibus inter Sinas veneratio mansit, ut *Tatarus Rex* HICUM, seculo post Chr. Nat. duodecimo ineunte, *Regiis* illum honoribus affecerit, & Magnatibus factum impro-

ban-

bantibus sequenti illud sententia excusaverit:

„ Tametsi CONFUCIUS non ea conditione fuerit, ut hos honores mereatur: attamen ejus DOCTRINA digna est, quam ritu REGIO veneremur. „ *

Cui addas, licet, *morem*, hodieque observari solitum, quo Viri doctrina, virtute, sapientia & in gesto Magistratu integritate præstantes *ab Imperatoribus* solent in album & ordinem referri *Condiscipulorum Confucii*, ut nimirum in partem veniant honorum, qui statis illi temporibus à Præfectis Urbium exhibentur. ** De

* Extat factum in Tabula Monarchiæ Sinicæ Chronologica, quam *Philippus Coupletus* Latinam fecit, & Confucio suo subjunxit, fol. 72. Cui tamen loco conferendus est alter fol. 79. ubi de *Tai çu* seculi decimi quarti ferè exeuntis Imperatore refertur: „ *Confucio* gentis magistro honores jubet deferri non regios, quos quidam Imperatores soliti erant deferre, sed eos duntaxat, qui *Sien su*, id est, Magistris vita functis conferri soliti, uti viventibus conferebantur. Vetat etiam eo ritu honorare *Confucium*, quo reliqui spiritus aut idola coluntur; *cum enim*, inquit, *Litterati, qui diem obierunt, à reliquis spiritibus diversi sint, par est, quotannis eorum memoriam diversa quoque honoris significatione rituque renovare, eoque duntaxat, qui pristinæ cujusque conditioni, & quam gessit olim, dignitati competat.* Vetat insuper statuas *Confucii* aut ejusdem discipulorum conflari & erigi. „

** Accipe verba *Coupleti* in *Hiao çum*, medio seculo XII. imperante: „ Floruit sub hoc Imperatore, Chu

De *Cultu* ipso *Confucii* & discipulorum liceat hoc loco manum abstinere; quoniam exponi, nisi prolixè, & à superstitione ad Civilem observantiam restringi, nisi cum alterius certantium partis invidia, non potest. *** §. 19.

---

* *Chu hi* veterum Librorum interpres celeberrimus. Variis perfunctus muneribus sub 4. Impp. post mortem honoratus titulo *Ven Cum*, id est, Litterarum Principis, & cum ceteris *Confucii* discipulis consecutus titulos posthumos; quorum nomina in tabellis in Gymnasio Confucii exponuntur, qui mos hodieque viget: Nam ubi constat de Viri virtute, sapientia, & in gesto Magistratu integritate, solent eos Imperatores in album & ordinem referre *Condiscipulorum Confucii*, ut in partem veniant honorum, qui statis temporibus à Præfectis urbium exhibentur. „

*** Forrassis tamen id impunè licet, exhibere verba Imperatoris *Yum lo*, seculo decimo quinto ineunte Anno scil. Chr. 1505. sceptra capessentis, quæ invenio in Vita Confucii ab iisdem Viris Eruditis publicata. Decretum Imperatoris, Confucii Gymnasium honoris gratia adituri sic habet: „ Ego venetor *Confucium* Imperatorum & Regum Magistrum. Imperatores & Reges Domini sunt populorum. Confucius autem rectam populorum institutionem proposuit tria illa vincula (*quæ sunt Regem inter & subditos, parentes & filios, maritum & uxorem*:) normam item quinque universalium virtutum (*pietatis, justitiæ, prudentiæ, fidelitatis, civilitatis*) & Sinensis Imperii magnam symmetriam & formam: omnia hæc Confucius declaravit, ut omnia secula erudiret. Convenit igitur Personam meam pergere ad magnum Gymnasium, & munera offerre vita functo Magistro, *eo consilio* & intentione, ut litteratos honorem, & doctrinam magni faciam. „

§. 19.

MEMCII rationem quoque haben-dam fuisse non pauci forsan postulave-rint: Est enim ille suppar ætate Confu-cio, ejusdemque Commentator, quem elegantius & majori ordine scripsisse ferunt. *Utinam* illi voto licuisset satisfa-cere; neque enim peperci studio, ut Si-narum Libros à R. P. *Francisco Noëllio* Pragæ Anno 1711. editos nanciscerer. Nescio, quæ caussa illos faciat rarissimos? Utor editione R. P. *Philippi Coupleti*, quam *Ludovici Magni* jussu Parisiis 1687. in fol. excudi curaverat, complexam *Confucii* Monumenta, *tribus* Libris *classi-cis* comprehensa, & à RR. PP. è Socie-tate Jesu, *Prospero Intorcetta*, *Christiano Herdtrichio*, *Francisco Rougemontio*, atque ipso, quem diximus, *Philippo Coupleto* in latinum sermonem conversa. Nequè tamen id ægrè Lectores tulerint, *Confu-cium* sine *Memcio* exhiberi: Verum est, Si-nas Memcium inter summos referre Vi-ros; eo sc. loco collocant *Tençu*, *Cemçu*, *Cu su* & *Mem çu* discipulos Confucii; Confucium ipsum inter Summos Sum-mum faciunt & primum, Magistrum quippe: Memcium vocant *Ya xim*, se-cundum sapientem: Confucium *Chy xim*, summe sapientem.

Omissis Memcii scriptis.

§. 20.

Curiosa Sinica transmittuntur.

Ad *Curiosa* quod attinet Litteraria, non illis in hac promulside locum licet concedere. Transeo quæ mihi innotuerunt, de *Litterarum* fatis; de *Litteratorum* statu & gradibus; de Sectis eorum & *Heresibus*, sive antiquis sive recentibus; de stultitia *Atheismi* Sinensibus Eruditis obtrusa; de moribus gentis & *Officiorum* ordine; de conditione *Annalium* & *Chronologiæ* Sinicæ; de fide denique auctoritate & fatis *Librorum* Imperii *classicorum*. Si quid ejusmodi amplius explicandum esse intellexero: non ipsi illud Commentationi inseram, sed peculiari loco exponam, ut potero. A Controversiis autem *Theologico-Historicis*, de Cultu *Confucii*, & majorum; de Tabella, Litteris *King Tien** ab

* Nolui hic interpretationem interserere, quoniam de illa controvertitur. RR. PP. *Dominicani* eam formulam vertunt: *Colito Cœlum*, & materiale intelligi volunt ex sententia Sinarum. RR. PP. *Jesuitæ*: Colito Cœlum, (intellectuale scil.) aut Cœli Dominum interpretantur: cum *Tien* non minus, quam *Tien-Chu* DEum inter Sinas denotet; cumque omnes scriptionis circumstantiæ huic potius significatui patrocinentur, quam alteri de cultu materialis Cœli. vid. *Breve Ristretto* delle Notizie regia dedotte circa l'uso delle Tabelle colle parole Cinesi KING TIEN *Cœlum colito*, presentato alla sacra Congregatione del S. Officio, in Settembre 1699.

ab Imperatore *Cham hi* An. 1675. die 2. Jul. cum RR. PP. Jesuitarum Collegium visitaret, inscripta, & in Templis Christianorum ab iisdem PP. suspensa: de modo tractandi Catechumenos, & Neophytos; de Cultu *Chim Hoam*, spiritus tutelaris, coram cujus tabella sacramentum fidelitatis præstant Mandarini Sinarum, & similibus, sermonem penitus abstineo.

§. 21.

Illud non abs re fuerit monuisse: scribere me, nixum *auctoritate* RR. PP. ex societate JESu, *Editorum Confucii*. Etsi enim me non fugiat, fuisse *Virum Eruditum*, qui suspectam reddere eorum fidem connisus fuerit, quasi in sua versione minus religiose mentem Confucii expressissent, aliter aliquando inflexa, aliquando supplementis aucta Philosophi doctrina: *Nolim* tamen ipsi statim accusationi tantum tribuere, ut dolose Eruditissimos Viros in eo negotio versatos esse existimem; *maxime*, cum non meminerim, RR. PP. è religiosa S. Dominici familia, satis cetera attentos in re Sinica priorum Adversarios, ejusmodi aliquid iisdem exprobrare: *Alienis* tamen me *oculis* cernere confiteor. Ideoque *tanta* dictorum fides erit apud Lectores meos, *quanta* est Editorum Confucii, quorum ego verba sequor, & *versionem* exhibeo.

Scribitur fide RR. PP. Editorum.

§. 22.

Antiquitas Philosophiæ Sinicæ.

Unicum illud, quod de *antiquitate* Philosophiæ Sinicæ dixi, non penitus sinè argumento dicam. CONFUCIO illam Annales Sinici ætatem asserunt, ut, nostris calculis, sexto ante Christum natum seculo claruerit; *Platone* igitur nostro & *Socrate* superior. *Illum* vulgo *Auctorem* nominant Philosophiæ Sinicæ: *contra* voluntatem Viri, qui *præconem* se, *non inventorem* haberi postulat.

Tertius Sinarum classicus Liber, Parte IVta, fol. 36. sic infit: „ Confucius ait: *Præco* sum, seu relator, & *non Autor* doctrinæ, quam palam facio. Credo & amo antiquitatem, ex qua studiosè suffuror, & excerpo, quæ ad rem meam sunt; imitatus in me ipso famosum illum *Senem Pûm*, quippe qui *prior veterum* monumenta simili conatu tradidit posteritati. „


Exemplum ille imitatus est famosi Senis, *Pûm* dicti: Referunt hunc Annales Sinici ad familiam inter 22. Imperatorias secundam, *Xam* dictam, eandemque integris quinque seculis ante Confucii ætatem finiunt: Et is ipse senex tamen ex antiquioribus sua similiter collegisse scribitur. Utcunque autem res habeat quoad ætatem & gesta senis illius *; Si

* Nolim enim dissimulare, quod eodem loco allega-

Si solum illud attenderis, quod *de Confucio* cognovimus, & Confucii testimonio de antiquorum monumentis, gestisque & doctrinis liquido constat; nihil tam antiquum est in philosophia *Græca* omni; imò nec in *Barbarica* deprehenditur, quod contendi aut anteponi possit. Neque enim lubrica adeo est *fides* Annalium Sinicorum, ad *isthac tempora* pertinentium, ac illa fabellarum à *Chaldæis* obtrusarum nobis, aut gloriationum *Ægypti*: Publicis quippe *tabulariis Imperii* condita sunt, & magna solicitudine curantur antiqui temporis documenta.

B 3 SECTIO

to f. 36. *Reverendi Editores* dicant, „ ex *narratione* Sinensium hunc *Laò Pùm* septingentos vixisse annos vegeto corpore, attigisseque tempora familiæ *Xam*, qua imperante Magistratum quoque gesserit.„ Statuent igitur Lectores ipsi, *quousque* fidem habere narrantibus velint? Num *excusanda* ætati sufficiat longæ vitas, antiquis illis temporibus familiaris? cum nostra etiam ætate rariores aliquando ejus generis casus obtingant, cujusmodi illos merito censeas, quos *Olaus Rudbeckius* memorat superiori seculo in Suecia vixisse, quando ex Catalogis defunctorum 12. parochiarum ab Anno 1600.—1673. præter 232. homines nonagenarios refert aliquos ad annum usque 140. ascendisse vivendo, alium quendam ad annum 156. & unum denique ad Annum 260. qui *septimam* ex se generationem viderit. vid. ipsius *Atlantica*, sive *Manheim*, vera Japheti posterorum sedes & patria; Et Nouvelles de la Republique des Lettres 1685. m. Janv. Art. VIII. p. 58.



SECTIO GENERALIS
DE
PHILOSOPHIA SINARUM MORALI.

§. 23.

Ordo Præceptorum Sinicorum.

ORdinem quidem in enarranda philosophia Sinica illum tenebimus, quem ipsi *Sinæ* in præceptis commendant, & officiis mutuo sibi subservientibus postulant. Scio, *communem* illam adeo *contumeliam* esse, qua confusionem *Sinis* exprobrant Philosophi nostrates, ut neque circumspecti cetera scriptores, ab ea imputatione sibi temperaverint. Torrentem antehac ipse secutus, aliam cœpi mentem induere, ubi *Confucium*, Philosophum Chinæ Principem, inspicere & evolvere datum est. Certum est, non majorem in libellis quibusdam *ordinem doctrinæ* observari, quam vel inter apophthegmata *Plutarchi*, aut *Maximiliani à Fredro*, aut *Rochefucaltii* Ducis (de Rochefoucault) monita Politico-Moralia deprehendas; Sed verò *officiorum* mutuo sibi succedentium exquisitas *subordinationis*

nis Leges non sine voluptate contueor. Vincimus *nos* sanè docendi methodo, non malè cohærenti: An & officiorum subordinatione, solicita simul, atque ad praxin aptata, id nondum dixero, neque maturius aliorum judicium antevertero. Explicabimus *ordinem* quoque, & sequemur *Sinicum*, ut omnino gentis morem exprimamus.

§. 24.

Duo sunt doctrinæ omnis Sinicæ supre- ma *capita*: *Alterum* pertinet ad culturam naturæ Rationalis; *alterum* ad renovationem populi. Ethicam *illud* & doctrinam *moralem* explicat: *hoc Politicam* complectitur. *Privatæ* illæ virtutes sunt, prima parte imperatæ: *Publicæ* sunt, quæ secundo loco commendantur. Addunt aliquando *tertium*, non tam diversum à prioribus præceptum, quam *utriusque* prioris præcepti requisitum. Divisio in duas partes.

In *primo* Sinensium libello classico, *Ta Hio*, id est, scientia Principum dicto, Auctore *Confucio*, commentatore *Cem çu* secundo ejus discipulo, in lucem publicam edito, ita à principio scribitur; „Magnum, adeoque Virorum Principum, sciendi institutum consistit in expoliendo seu *excolendo* rationalem *naturam* à Cœlo inditam. Consistit deinde in *renovando* seu reparando *populum*. Consistit demum in sistendo firmiter, seu *perseverando* in summo bono. „

§. 25.

Utriusque partis Officia specialia.

Partes, quibus utrumque illud officium absolvitur, sequentes enumerant. *Ad* poliendam quidem *Naturam rationalem* postulant *primo* excoli *intellectum* scientia rerum omnium, eousque, dum in discernendo bono & malo non amplius aberret: *Tum* verò imbui *voluntatem* amore boni & virtutis intensissimo, odioque vitiorum implacabili, & naturalem hanc emendati intellectus sequelam esse arbitrantur, atque asseverant: *Inde affectus* coërceri volunt, & caveri mentis perturbationes: *Postea* componi *actiones*, & cum ceteris hominibus consuetudinem ad honesti regulas & decori. *Alteram de* instituendo *populo* partem sic ordinant, ut arbitrentur, eum, qui suam ex antedictis personam dirigere possit, posse *familiam* quoque exemplo & praeceptis instruere, eoque boni patris familiae locum occupare: Ex eo gradum ad altiora faciunt, rati, qui familiam possit ad virtutem componere, illum admoveri ad *Magistratus* posse, & *privata* quoque, ut illi vocant, *Regna* dirigere; saltim eo admittendum non esse, si quis primum perficere non valeat. *Denique*, qui privatum solerter Regnum aut Dynastiam gubernare queat, illum esse *Imperio* gerendo accommodum & parem praedicant, non alium.

Primo Sinensium libello, quem ante allegavimus fol. 3. ita Philosophus mentem edisserit suam: „ Prisci volentes expolire naturam rationalem in *Imperio*, prius rectè administrabant suum ipsorum *privatum Regnum*. Volentes autem rectè administrare suum Regnum; prius rectè instituebant suam *familiam domesticam*. Rursum volentes recte instituere suam familiam; prius recte componebant *suum* ipsorum *corpus*. Volentes recte componere suum corpus; prius rectificabant suum *animum*. Volentes rectificare suum animum; prius verificabant suam *intentionem*. Volentes verificare suam intentionem, prius perficiebant suum *intellectum*. „ Equidem hic longe elegantior locus foret, si illum liceret cum integra *Cham Colai* interpretatione huc transcribere, sed prolixior est, quam pro specimine.

Potest id *nostris moribus* incommodum videri, & *saltum* faciens, quando à familia ad Magistratus transeunt: *Cessabit* ille quidem *scrupulus*, ubi inferius ostendero, quales illi magistratus, & quæ Imperantium officia postulent.

§. 26.

Illud facile per dicta intelligitur, subtilitatum in ea Philosophia, & speculationum, & controversiarum haud magnam rationem haberi; ut luculen- *Definitio Philosophiæ Sinicæ.*

tius id patefcat *definitionem* exhibebimus *philofophi.* Philofophum quidem haud raro definiri video à *Confucio* & difcipulis, nunquam tamen à fola fcientia. Mancam Sinæ definitionem arbitrarentur, qualem noftri fequuntur, qui Philofophiam putant effe divinarum humanarumve rerum notitiam: *Exercitationem* illi adderent virtutis, & præcipue poftularent. Si malunt exempla, quam præcepta, fequi noftrates, & facta exprimere potius in definiendo, quam Regulas: antiqui *illi* è contrario exempla præceptis contraria non attendunt, & definitionem Philofophi ex jure faciunt, & factis nituntur exprimere.

Libro Scientiæ Sinicæ, à R. P. *Coupleto* ut ante diximus editæ, Tertio, P. III. fol. 34. *Confucius* ita præcipit: „*Verus Philofophus* ampliffimo quodam ftudio verfatur in Libris fcientiisque omnibus; omnia examinans reftringit exigitque ad Regulam rectæ rationis. Et fic quidem fieri poterit, ut is à *veritate* & *virtute nunquam* deflectat.„ Magiftrum imitatur difcipulus *Cemcius*, ejusdemque Libri Parte IV. fol. 47. & 48. inquiens: „ *Homines Litterati* non debent non effe amplo magnoque animo, forti item & conftanti. Onus quippe feu munus, quod ipforum humeris

meris impendet, admodum grave est, & iter, quod decurrendum habent, longinquum. *Vera* sinceraque *virtus* proprium est ipsorum munus; nonne revera grave? rursus cum mors supervenit, tum demum cessat labor, & tanti oneris sustinendi necessitas: Nonne ergo longum est? nonne diuturnum, quod spatium adæquat totius vitæ? „ Eodemque folio & Confucius accedit, verbis: „ *Philosophus*, qui firma fide credit, quam forte doctus est veritatem, nec parcit labori & studio, is in quadam vitæ perpetuitate constabit sibimetipsi usque ad mortem, semperque illi *optime* conveniet cum virtute, & recto rationis dictamine. „

§. 27.

Neque id *attributum* saltim esse existimant, quod philosopho extrinsece accedat; sed *requisitum*, quo constituatur. Neque ornamentum solum, sed partem plane; quin ipsum in ea parte *nervum philosophiæ* quærunt, negaturi appellationem, si quis hic defecerit. Nimirum illi, si quam remittere partem teneantur, theoreticam dimittunt, & Philosophi nomen practice talibus conservant. Ejus requisitum præcipuum.

Ita *Confucius* L. III. P. II. fol. 14. „ Si quis audire velit Philosophus, & tamen abjiciat veræ sapientiæ virtutisque studium, talis qui sit, quomodo mereatur

vel

vel ſibi conciliet *Philoſophi* nomen ac famam? „ Atque *iterum* P. I. fol. 8. prolixius „ *Quiſquis* eſt virtute præditus, dum *potu ciboque* reficitur, non hoc agit, ut ſaturetur, oppleatque ſe & ingurgitet, ſed ut vivat, viresque reficiat: in *ædibus* etiam, quas habitat, non ſectatur impenſius vel commoda ſua, vel delicias. Adhæc impiger ac ſedulus eſt in obeundis *negotiis*, & cautus ac prudens in *verbis*: & talis cum ſit, haudquaquam tamen *ſibi* vel ipſe *placet*, vel fidit, ſed ultro adit, & ſtudioſe *ſectatur Viros* ſapientia præditos ac virtute, & horum *conſiliis* & *exemplis* ceu Regula quapiam dirigitur. Revera quisquis eſt hujusmodi, poteſt *dici philoſophus*, & hoc *ſufficit*, ut talis dicatur. „

§. 28.

Sinica Philoſophiæ tractatio *noſtræ* collata.

Accepimus, quod philoſophi inſtitutum ſit? Dubitari fortaſſis poſſet, *an religioſe* illud *ſervari* contingat? Namque eſt noſtri ſæpe aliud omne præſtant, quam promiſere in prolegomenis. Qui *practicas* olim philoſophias in *Rubro* ſunt polliciti, *ſubtilitatibus* nigrum oppleverunt. *Emendarunt* errata Anteceſſorum ſuorum Viri Eruditiſſimi, ſucceſſu utili & glorioſo. Obtinuimus eorum opera, ut præcepta morum *ordine* expoſita conſpicere liceat, & mutuo *copulata*: vidimus eorum facto *lacunas* ſuppleri, quæ neceſ-

ſarias

Digitized by Google

fatias ut quam maxime doctrinas occuparunt. Eo igitur nomine gloriam ab Eruditis commeruerunt, & nostro etiam suffragio retinebunt. Non id in illos tamen injurium fuerit, si deesse aliqua admonuero. Visum mihi est aliquando, *præcipi* optima quidem, sed *non* inculcari *modum* & artificia, quibus illa liceat in praxin traducere; *exponi* præcepta quidem, non *suaderi* tamen, ut fieri posset, motivis tanto negotio paribus; explicari *generalia* magis, quam enumerari *specialia*, & ad vitam proxime accommodata. Sed vero Practicam philosophiam postulare utrumque arbitror: & quoniam in hoc etiam negotio nonnihil antiqui *Sinæ* præstiterunt, doctrinam illorum tanto majoris facio.

§. 29.

Placet, abstinere *Philosophum Sinam* à theoreticis nihil ad scopum conducentibus: placet, multum esse in suadenda virtute, in proponendis majorum exemplis, in observandis ritibus atque officiis. Sinæ abstinent à Theoreticis, multi in Practicis.

Discipulorum de Magistro hoc testimonium est, L. III. P. IV. fol. 40. 41. ;, *Odæ* trecentæ, id est, sententiæ priscorum Regum & Sapientum, metro ligatæ: *Chronica*, seu Res ab iisdem Regibus ac majoribus suis vel recte vel perperam gestæ: Denique studiose observata

vata & exercita ab iisdem Regibus *Officia* & *Ritus*. Hæc *tria* erant ea fere omnia, de quibus *passim* disserebat Confucius. De *quatuor* rebus nonnisi *rarissime* & brevibus. De rebus scilicet *exoticis*, inusitatis, peregrinis; de monstris atque *prodigiis*; de factionibus atque dissidiis & *perturbationibus* publicis; denique de *spiritibus*, quod eorum virtus & efficacia, natura usque adeo subtilis ac sublimis sit, & ab humano sensu remota, ut de illa debite loqui sit periculum. „

§. 30.

Demonstrat ab Exemplis Regum.

Placet inusitatus *demonstrandi modus*, nostris quidem auribus non nimium consuetus, quo præcepta sæpenumero non argumentis firmantur, sed Regum atque Imperatorum exemplis: Optimos id Reges, populum obsequentem demonstrat, ubi *sufficit* præceptis, & *præsto est* ab ipsis Principum factis commendatio.

Perpetuum hoc est, ut Exempla Imperatorum *Yao*, *Xun*, *Ven Vam*, & similium loco rationum sint, probandis virtutum præceptis addendarum. Nolim igitur excerpendis ejusmodi sermonibus locum occupare: maxime, cum illustria inferius recurrant, ubi *de officiis Imperantium* ex Confucio philosophari dabitur.

§. 31.

§. 31.

Placet *motiva* etiam nostris communissima, *sic inflecti*, ut aculeum ex forma sumant. *Nihil* est in omni suasione *vulgatius* eo, quo *nominis immortalitas*, & apud posteritatem gloria hominibus ad virtutem instigandis inculcari solet: sed *nihil* eo argumento *dilutius* videri potest, *si* ex eventu rei atque in animos effectu judicandum sit. Si quod argumento *pondus* est; credam, illud *eo* casu & *modo* trahere momentum, quo Sinas illo usos esse deprehendo. Eleganter inflectunt motiva.

Publica scil. *carminum* antiquissimorum *recitatione* (videor mihi antiquos apud *Tacitum* Germanos agnoscere, heroum facta carminibus celebrantes haud vulgari efficacia) commendant bene meritorum memoriam. Libro Primo sunt plura ejus rei specimina: Unicum adduco. fol. 11. „ *Oda* ait: O quam priores Reges (*Ven vam*, & *Vu vâm*) non sunt in oblivione: Namque in Regibus posteris etiamnum resplendet illorum virtus ac probitas, & perseverat illorum amor. Et populi etiam posteri etiamnum gaudent illorum lætitia & fruuntur illorum providentia & commodis. Hac de causa elapsis à morte ipsorum etiam seculis omnibus nulla eorundem erit oblivio. „

§. 32.

§. 32.

Inter media virtutis urgent Exempla.

Placet *media* suppeditari ad virtutem; non præcepta solum; placetque id præcipue; *exempla* omnem hoc loco paginam facere; atque illud eousque, ut sine exemplis præcepta judicentur inutilia.

Utrumque illud inferius recurret: De *secundo* tamen bina liceat loca hic adjungere. L. quidem III. P. VII. fol. 92. *Confucius* ait: „ Ipsa persona gubernantis alios, si recta sit, & ad omnem virtutem composita, etiamsi nullis utatur monitis vel adhortationibus, ultro tamen ad omnem virtutem & laudem convertent se subditi, exemplo sc. gubernatoris pertracti: è contrario ipsa persona si non sit recta, licet assiduis stimulis & adhortationibus utatur; tamen non sequentur subditi. *Allicient* enim *verba*: sed potentius *advertent facta*.„ Id de *Magistratu* dictum: *Generale* est alterum, cum de *Viro perfecto* quæsitus L. III. P. 1. fol. 14. ita respondet: „Talis est, ut prius reipsa factisque compleat suos sermones, quibus instituere desiderat alios: ac deinde sua ipsius facta & exempla prosequatur alios instituendo. „

§. 33.

Finem studiorum legitimum præscribunt.

Placet *finem* inculcari studiorum, legitimum sane, sed rariorem; congruum illis, quæ ante diximus; eleganter enunciatum; & *Sinico* more, id est, per exempla probatum.

Ita

Ita *Confucius* L. III. P. VII. fol. 104. „*Prisci* studebant litteris optimisque disciplinis primum ac potissimum *propter se*, fructum virtutis & sapientiæ inde petentes. Homines vero ætatis *nostra* student literis *propter alios*, a quibus scil. vel inanem plausum expectant, vel honoris ac rei familiaris amplificationem. „

§. 34.

Placet denique illud ante cetera, *distingui* sollicite, quæ magis minusve *principalia* sunt. Marcida videri possunt, & arctis constricta limitibus, quæ tradi aliquando videas de *obligationum collisione*, neque memini, *aliam officiorum comparationem* vulgo institui: sed vero inter *Sinica* morum documenta non pauca deprehendo, nec inelegantia. **Seduli sunt in Comparatione officiorum.**

Specimina facti, ut forte succurrunt, è pluribus aliis hæc sunto: primo Scientiæ Sinicæ Libro fol. 12. ita lego: „Confucius dicebat: Audire & decidere lites ego possum perinde ac alius quilibet homo: Verum, quod foret necessarium, esset efficere, ut populus, ceterique homines mutuo sese honore & amore prosequentes abstinerent à litibus, quod utique majoris faciendum. „ Idem sæpenumero philosophus inculcat: vide, si placet, L. III. P. VI. fol. 82. *Alia* comparationis species est L. III. P. VII. fol. 98. his verbis: „Qui habet *virtutem*,

tutem, procul dubio habet etiam in promtu *sermones* ac documenta, quibus eam aliis commendet. Ceterum qui habent sermones in promtu, non tamen certa necessariaque consequentia habent virtutem. Rursum, quisquis excellit *integritate* innocentiaque vitæ, procul dubio *robore* quodam animi & fortitudine est præditus. *Fortis* tamen *haud necessario* certovè præditus est ea, quam dixi, *integritate*.„ *De Collisione* autem alius L. III. P. VI. fol. 80. Discursus est Magistri cum discipulo: „*Cu cum* consulit Magistrum de recta ratione gubernandi. Confucius respondet: Sit affatim *annona* Tuis subditis. Sit affatim *militum*, rerumque necessariarum ad usus bellicos. In populo denique vigeat *fides*, quæ respondeat fidei beneficentiæque ipsiusmet Principis. Adhæc *Cu cum*: probe quidem rem intellexi, sed nova dubitatio suboritur, quidsi omnino non possit aliter fieri, quin hic unum e tribus hisce dimitteretur, ecquod primo loco dimitteres? *Confucius* respondit: Dimitterem *milites*. Armabit scil. inermem turbam sua cujusque fides erga Principem, mutuusque amor & concordia præstabit invictos. *Cu cum* denuo quærit: quid si omnino non posset aliter fieri, quin hic quoque demeretur aliquid; ex his duobus,

bus, victu scil. ac fide, utrum prius patereris tolli? *Confucius* respondet: tolli paterer seu dimitterem *victum*; quippe ab omni ævo omnes omnino sumus mortales. Malebat igitur Confucius, subditos cum fide mori, quam hujus expertes a sua hominum conditione discedere. Certe ubi populus expers est mutuæ fidei, adeo non erigitur, aut coalescit in Remp. ut contra eum interire necesse sit. „

§. 35.

Possent *plura* allegari in Sinicæ Gentis & antiquæ illius Philosophiæ laudem: sed *nolim* illa cumulare hoc loco, ut ne *Commentatorum morbo* teneri videar, de quibus recte, sed & acute *T. P. de Crousaz*, Systeme des Reflexions, ou Logique T. 1. p. 277. „Les *Commentateurs*, dit il, ressemblent aux *Amans*, il tournent tout en beau, ils admirent des bagatelles. Tout est de poids, tout est de prix dans ce, qui les occupe, & apres avoir fini un Ouvrage, ils font encore, comme ceux, qui ne sauroient vivre sans une passion. Ils changent d' objets sans changer de discours. Le dernier Ouvrage, sur le quel ils travaillent, est toujours le plus admirable, si on les en veut croire, mais dès qu' on pese bien toutce, qu' ils en disent, on trouve, qu' ils ont deja parlé des autres avec

Morbus Commentatorum.


autant d' exaggeration. La passion grossit tout.,,

§. 36.

Diversa de Sinis judicia.

Speciatim vero *Sinicæ* gentis *existimationem* scio diversissimam esse inter Europæos: ideoque cautius hac in parte versandum arbitror. Nihil verius est judicio RR. PP. e Societate Jesu, Conditorum Diarii Trivultini; Exhibeo illud, & approbo, etsi meos etiam hac parte errores detegat. Ita illi in Commentariis Criticis ad A. 1722. m. Aug. art. 82. p. 1415. 1416. „Il est vrai, comme l' a tres bien remarqué M. de Fontenelle, que nous ne pouvons nous figurer nous autres François, qu' on ait le sens commun à six mille Lieuës de France, & voila pourquoi on releve dans un étranger des mots, qu' on regarderoit comme fort peu de chose dans la bouche d' un honnête homme François. Nous ressemblons un beu en cela à M. Jourdain, qui est tout étonné de voir un Turc parler Turc. Il faut pourtant convenir, qu' à certains égards la Chine a ses la Roche Foucaut, ses la Bruyere &c. Il seroit a souhaitter, que les Ouvrages Chinois parussent nés en France. En perdant le vernis étranger, ils plairoient peut-etre moins à bien des gens, mais beaucoup plus aux Connoisseurs, qui à force de s' armer contre le prejugé commun,

mun, donnent dans un autre contraire, & qui crainte de trop estimer ce, qui est étranger, ne l' estiment pas assés.,, Quis medium tulit in omnibus? Si qua falli oporteat, malo laudare nimium, quam culpare. Interpretor optime, quod possum: Neque *Sinas* ab eo privilegio reor excludendos esse. Placuit mihi *præjudicium Leibnitii*, in Recueil de diverses Pieces T. II. fol. 209. „Si je me trompe, j' aime toujours mieux de me tromper à l' avantage, qu' au desavantage des personnes.,,



SECTIO PRIMA SPECIALIS.

DE

CULTURA INTELLECTUS.

§. 37.

PRimam præceptorum Sinicorum partem absolvit *Cultura intellectus*: Eam emendationi voluntatis omnino præviam volunt. *Duplicem* de illa re sententiam deprehendo virorum: *altera* necessitatem asserunt illius præsuppositi; *altera*

Ratio ordinis ab emendatione Intellectus.

ra sufficientiam. Si credere *Sinis* licet, ad rectitudinem reduci intentio *non potest*, *nisi* intellectus ea veri bonique perspicacia imbutus sit, ut solicite & exquisite possit a malo bonum discernere: Ex adverso, *sufficit* ad voluntatem inflectendam, boni atque veri cognitionem seriam atque certam possidere.

§. 38.

Dubia Nostratium unde?

Inter *Europaos* disputatum est acriter, & prolixe *de utroque* enunciato. Caussam facti illam arbitror, quod *nostri* haud raro *Culturam intellectus* vocent, illam rerum a Civili vita remotissimarum indagationem, qua subtiles, anfractuosasque, & spinosas quæstiones otiosi nectunt, otiosiores resolvunt: *Emendationem voluntatis* aliquando absolvant generali & vago quodam virtutis amore, ejusdemque veritatem magis affectuum ardore metiantur, quam in sollicita circumspectaque, universali sane, sed & applicata, firmataque solidis fulcris, animi ad bonum propensione quærant. Æquum vero est, ex utraque parte nævum agnoscas; *illinc*, emendandæ voluntati nihil aut parum conducere quæstiuncularum notitiam; *hinc*, non posse voluntatis emendationem enarratam obtineri, sine plena boni & mali cognitione prævia. Quid igitur *Sinæ?* Illi culturam intellectus interpretantur cogni-

tionem

tionem ejus, quod bonum est, & publice proficuum: Voluntatis emendationem in deliberato, constantique & universali virtutum omnium amore, & vitiorum odio implacabili solerter collocant. Non igitur illis dubium id esse potuit, in quo Nostrates lapsi sunt. *Tum* vero isthæc *etiam* errandi occasio esse potuit eruditis nostratibus, quod *notitiam* a *persuasione* non omnes discreverint. Non est *viva* illa cognitio, utcunque sublimis, & in speculatione egregia videatur, de qua animus, hic & nunc, quod dicitur, cum de actionibus suis sive perpetrandis sive perpetratis judicium instituit, vel instituere debet, persuasus non est. *Viva* illa demum est, cui mens plene assentitur, & quæ voluntati est motivum agendi. Ita factum est, ut ex *altero* latere subtilitates praxi non necessarias, ex *altero* flectendæ voluntati generalem notitiam insufficientem esse, Eruditi deprehenderint; incauti solum, ubi universalem nimis conclusionem intulerunt.

§. 39.

Melius igitur id *Sinarum* exemplo sic ordinem, ut *necessario præmitti* debere intellectus in doctrina boni & mali culturam; *sufficere* vero ad flectendam voluntatem illius cognitionem & persuasionem solidam, asseveratam, atque ab Testimonia Sinarum.

homine individualiter sibi & actionibus suis applicatam, arbitrer.

De *necessitate* locum allegavi superius §. 25. pag. 24. De *sufficientia* duos hic exhibeo, firmandæ non solum *sententiæ*, sed & limitationi additæ appositos: Libro Primo scientiæ Sinicæ fol. 4. & 5. ita Philosophus, priorem gradationem ordine reciproco persecutus, differit: „Rebus omnibus intime penetratis & exhaustis, tum deinde vis *intellectiva* consummata erit & perfecta: vi intellectiva consummata, tum deinde *intentio ac voluntas* verificabitur, id est, non errabit, vel appetendo, quod malum sit, vel fugiendo quod bonum: intentione verificata tum deinde *animus* rectificabitur, *nullo* pravo *affectu* a sua rectitudine desciscens: animo rectificato, tum deinde etiam *corpus bene compositum* erit, nihilque aget a decoro & morum probitate alienum. Propria persona seu corpore bene composito, tum deinde *familia domestica* illius exemplo bene instituta erit: familia domestica recte instituta, tum deinde etiam *privatum regnum* recte administrabitur: privato Regno sic bene instituto, tum deinde *totum* etiam *Imperium* optime institutum pace perfruetur.„ Adde locum, quem supra exhibuimus §. 26. ex L. III. P. IV. f. 48.

§. 40.

§. 40.

Conveniunt huic ſcopo, quæ commentantur de *Natura rationali*; convenit *generale* moralis diſciplinæ *principium*, quoniam & facile eſt, & ſuaſionis argumentum in ſe ipſo convenit. *Summam* theoriæ explicabimus, additis etiam, quæ noſtri fortaſſe requirerent, *curioſis*, etſi *parce* traditis inter antiqua gentis monumenta. Summa Theoriæ.

§. 41.

Rationem a Cœlo inditam homini aſſerunt, ſed excolendam eſſe. Culturæ neglectum eſſe errorum cauſſam, & vitiorum originem. Neminem quidem omnino aſſequi dictamen Rationis: Regulam tamen Rationis eſſe in omni homine; ſic ut *rudes* etiam & *fœmina* poſſint ad cognitionem medii, hoc eſt, virtutis, pervenire. *Studendum* vero literis, optimiſque diſciplinis, priſcorum exemplo, primum ac potiſſimum *propter ſe*, fructum virtutis ac ſapientiæ inde petendo, non propter alios, a quibus vel inanem plauſum expectare liceat, vel honoris & rei familiaris amplificationem, vid. ſuperius §. 33. Inutilem lucubrationem eſſe, quam nequeas factis proferre: *Illum* officia *non ſcire*, qui negligat. In officiis præcipue diſtinguendum eſſe magis principale & *radicem* a *ramis*; & ſubordinationem exactiſſime De Lumine rationis.

 ſer-

servandam. *Praeferendam* animi culturam imperio: *Combinandas* autem litteras & Reipublicæ curam, cum fieri possit. &c. Scientiæ quidem (abstractæ) studium præcipi populo non posse, sed Legum tamen. Philosophum versari in scientiis omnibus. Nihil prodesse scientiam tamen, nisi medium (id est, virtutem) noveris seligere; & quæ sunt similia.

Nolim omnia speciminibus illustrare, & verbis Sinarum, sed *aliqua* tamen. Liber II. scientiæ Sinicæ, qui Chum-yum id est, Medium sempiternum dicitur, ita fol. 40. „Id quod a Cœlo est homini inditum, dicitur natura Rationalis: quod huic conformatur natura & eam consequitur, dicitur regula seu consentaneum rationi: * restaurare quoad exercitium hanc regulam se suaque per eam moderando, dicitur institutio seu disciplina virtutum.„ Eodem L.II. fol. 43. Con-

* Potest hic locus videri obscurior. Differunt autem hic, mea sententia, natura rationalis & τὸ consentaneum rationi, ut inter nos distingui solet ratio, & dictamen rationis; ingenita facultas cognoscendi verum atque bonum, & judicium ipsum, sive actuale, sive habituale. Dixeris hoc consentaneum rationi respondere conscientiæ, quam nostri vocant, docenti, eidemque habituali non minus, quam actuali; modo attenderis, habitualem hic intelligi non consequentem solum, sed præcipue antecedentem & bene constitutam. Non hæc diduco latius, quoniam in nostris compendiis explicati abunde solent, & sæpenumero,

Confucius ait: „Caussam, cur mortalium plurimi per Regiam hanc medii viam non incedant, ego quidem probe novi: Prudentes enim hujus seculi illud transgrediuntur, & quia plura, quam hoc medium & altiora se intelligere arbitrantur, medium quasi parvum & non sufficiens negligunt; rudes vero non pertingunt ad medium, quia aut non norunt, aut difficultate territi, diffidunt eo pervenire - - - - - quod vero passim sic peccetur, oritur ex defectu examinis; cum enim Regula illa sit homini intima, actiones quæ a natura procedunt, utique nonnisi ex dicta Regula plerumque procederent, siquidem hoc foret probe cognita, e. g. hominum nullus est, qui non bibet in dies & comedat; & tamen in re tam obvia pauci valent dignoscere rectos sapores, seu rectum judicium ferre de potus & cibi tot condimentis vitiati natura & efficacitate, quam si accuratius explorarent, non toties temperantiæ limites excederent.„ L. III. P. VIII. fol. 114. ait Philosophus: „Homo potest illustrem reddere, & magnificare normam rationis: Non autem citra conatum arbitriumque hominis norma rationis per se valet magnificare hominem.„

§. 42.

§. 42.

Discrimen Sancti & Sapientis Sinicum.

Culturam ipsam aliis *facilem* & quasi connaturalem arbitrari videtur, aliis affirmat esse *difficiliorem*. Hoc discrimen est *Sancti* & *Sapientis Sinici*: Illum sine violento passionum conflictu, cœlitus virtuti præparatum, facile ad scopum pervenire dicunt; hunc nonnisi studio, & labore multo, & meditatione & exercitatione adhibita.

Definitionem, secundo Sinensium classico Libro fol. 67. traditam, hanc lego verbis Philosophi: „Vera solidaque perfectione dotatum esse, *Cœlestis* quædam est *ratio* omnibus indita; at vero *post hujus jacturam* ad recuperandum denuo hanc veram solidamque perfectionem contendere, seu per conatum ad eam, quam amisit integritatem redire, *humana* quædam via & *ratio* est. Quod spectat ad verâ solidâque perfectione dotatum; quiá talis profecto a Cœlo proficiscitur, ipse quidem ex parte sua non sibi vim inferens, sine ullo passionum conflictu agit, & tamen sine negotio attingit scopum & finem; non ratiocinatur, & tamen rem assequitur, cum magna denique tranquillitate absque ulla commotione rationem sequitur, & attingit virtutem: atque hoc *Sanctorum* est. Quod autem spectat ad eum, qui per conatum ad veram solidamque perfectio-

fectionem contendit, quia ab ipsomet homine pendet, qui cum labore eam assequi conatur, opus est, ut serio prius secum ipse meditetur, & examinet singula; quo facto deinde seligit sibi bonum, & hoc selecto dein fortiter manu tenet ac conservat; atque ea sapientium Virorum, præ modo dicta longe *inferioris* ordinis via & ratio.,,

§. 43.

Sapientes postulat & describit haud raro Confucius, *non Stoicos* tamen, qui, si fides est adversariis eorum, humanam quasi naturam exuere teneantur, sed quales obtinere & liceat & expediat: An *Sanctum* quoque *inter homines dari* existimet; non possum liquido determinare. *Se* illum *non esse*, sed e longinquo sequi, diserte aliquoties profitetur: nec illum sibi visum esse inter homines arbitratur. An detur sanctus inter homines?

Libro III. P. IV. fol. 42. ,,Hominem *sanctum* ego adhuc quidem non potui videre; ut queam videre aliquando Virum virtute & *sapientia præstantem* ceteris; hoc quidem adhuc fieri poterit.,, Et paulo post fol. 44. ,,quod attinet ad *sanctitatem* cum solida illa sinceri animi perfectione, quibus præditum *me* vulgo autumant: equidem ego qui ausim mihi arrogare? *An* fortasse *id unum* significant, in exercitio & conatu, quo ad perfectio-

fectionem contendo, non me languescere: in docendo & instituendo alios non defatigari? Tunc quidem poterunt dici significare quidpiam: *Hoc* enim *solum*, & non amplius me posse fateor.„

Tum vero in *Civili* hac vita perfectum ejusmodi Virum non præcise postulari innuit Confucius, sufficere gradus aliquanto parabiliores. Cave tamen existimes, illum *torpori* favere: desperationi obviat; torporem alibi excutit, locis sat efficacibus §. 58. memorandis. Sed vero expende, si placet, ipsum hunc locum laxiorem!

L. III. P. VII. fol. 100. ita lego concludi video enumerationem aliquam virtutum in antecedentibus factam: „At hæc omnia unus quî complectatur? Concipere animo perfectionem tantam possumus: invenire qui illa præditus sit, ægre possumus. Attamen ætatis hujus nostræ perfectos Viros quid magnopere necesse est esse tales? Certe si quis videns lucrum, protinus meditetur justitiam, item videns discrimen Reip. vel Principis; alacriter exponat offeratque vitam; in veteribus autem pactis & promissis non obliviscatur, nec inficietur suos universæ vitæ sermones, & fidem semel datam nunquam fallat: Hujusmodi qui sit, etiam poterit suo modo censeri vir perfectus.„

§. 44.

§. 44.

Illud memoratu dignum, a R. P. Coupleto in Chronologia Sinica fol. 39. & in Vita Philosophi fol. 120. allegatum; subinde illum solitum dicere, *Virum sanctum in occidente existere*: Eoque Philosophi verbo, ad posteros propagato, & oblata sibi in somno specie *Herois* commotum, Imperatorem Mim ti annis post Chr. nat. 65. misisse *Legatos occasum* versus, quæsituros Virum sanctum, & sacram Legem: Luctuoso tamen per universum Imperium *eventu*. Nimirum illi, non ausi longius procedere in Insula mari rubro vicina idolum quoddam & statuam hominis *Foe*, qui 500. circiter annis ante Confucium floruisse dicebatur, cum execrabili Lege Imperio intulerunt: *felices* vero & *æternum* de patria sua merituri, si salutarem Christi doctrinam, iisdem fere temporibus ad Indos, & per universum orbem propagari coeptam, domum retulissent! Dictum Confucii, de Sancto & illius Effectus.

§. 45.

Dubiam nostratibus *fidem veterum Sinarum* Novatores fecerunt. Multæ sunt in eam partem lites Eruditorum: Aliqui Theologiam illis Naturalem universam abjudicant, *atheos* omnes Sinarum Litteratos esse caussantur. Incubuit illi sententiæ firmandæ *P. Belius*, ut ostenderet, florere Imperia posse, etsi verum An Veteres Sinæ fint Athei?

de

de Deo ſenſum cives exuerint. Sed vero videntur Celebres Viri miſcuiſſe *Recentiores* Sinarum Doctores *cum antiquis.* Laborant Novatores Sectæ *Foe Kiao* in torquendis pro ſua ſententia antiquiſſimis Librorum claſſicorum enunciatis: quæ fateor tam aperta eſſe, ut, niſi diſſentiat origini ſuæ translatio, providentiam Numinis cujusdam intelligentis Confucio & coævis, & anteceſſoribus, & proxime ſequentibus cultam eſſe, exploratum mihi videatur. Etſi pauca ſint rei *teſtimonia,* luculenta tamen illa haberi poſtulo, cum dicitur Cœlum, vel ut alii interpretantur, Cœli Imperatorem accommodare ſe bonis, & remunerare virtutem; ſapientem unius Cœli arbitrio acquieſcere, & ordinationem illius expectare, nec de illo conqueri; &, quod præcipue attendi velim infra rediturum §.57.&101. in cogitationibus quoque ſuis nihil admittere, cujus *conſcium* eſſe *Cœlum* nolit.

L. III. P. VII. fol. 106. Confucius ad diſcipulum inquit: Nemo eſt omnium, qui me norit. Et rogatus aſſerti cauſſam, ſic pergit: „Primum quidem non ego indignor Cœlo, non etiam culpo mortales: orſus ab inferioribus non ſine labore & conſtantia res diſco, & ſic paulatim gradum faciens ad ſublimiora evado ac penetro. Interim, quod perſpe-

ctum me habet, ipsum est Cœlum.,,

§. 46.

Longè etiam antiquior est *concertatio* quæ L. III. P. X. fol. 149. 150. recensetur, habita Anno ante Christum Natum circiter 1770. inter Principem *Tam*, & Dynastas, qui persuadere Principi volunt, ut jugum Impii Regis *Kie*, ultimi e familia Imperatoria *Cheu* dicta, excuteret: In ea Cœli voluntatem ultro citroque sibi Princeps & Dynastæ opponunt. Testimonium Antiquissimum.

Princeps quidem: „Ego timeo supremum Cœli Imperatorem,,. Dynastæ, populum cœlitus ad ipsius amorem esse inflexum; ipsum cœlitus instructum ad liberandum populum, Regem *Kie* esse cœlitus reprobatum, his sententiis, & similibus: „Duntaxat Cœlum creat po-„ pulum cum suis passionibus: Cœlum,„ impertitur Regibus fortitudinem &„ prudentiam: Venerabundus obtempera„ Cœli mandato ac voluntati: Eum, qui,„ indigne tractat spiritus, & crudeliter„ populum Regalem, Cœlum non con-„ servat: qui adoraverit & coluerit Cœli„ Legem, æternum conservabit Cœli vo-„ luntatem erga se: supremum Cœlum,„ fideliter juvat subditum sibi populum,„ impius vero homo ille (*Rex Kie*) excussit,„ a se subjectionem: Familiæ Hia fuit mul-„

„ta ſcelera, Cœlum jubet, ut extingua-
„tur: Cœli ratio ac Lex eſt, beare pro-
„bos, peſſundare improbos &c. &c.

Plura ſunt in ea diſceptatione memorabilia: Unum hic monere convenit, occurrere & alibi *exemplum non* diſſimile, quo in Tyrannum Magnates inſurrexerint, cauſſam a vitiis ejus, & Imperii periculo trahentes; *videri* etiam Libro ſecundo fol. 54. in fine, *quod probetur* factum a Confucio.

§. 47.

De Anima poſt Mortem ſuperſtite.

De animarum immortalitate ſpecimen elegans eſt, ubi *Puon-Kem,* decimo quinto ante Chriſtum natum ſeculo, rationes Magnatibus & populo redditurus, inter alia hæc urget:

„Ego ſi diutius hic commoratus me pari-
„ter & vos perdidero, quo tandem pa-
„cto juſtiſſimas iras & comminationes
„effugiam Tam Atavi mei, cujus ani-
„ma in Cœlo nunc degit, & procul du-
„bio me unum calamitatum omnium, quæ
„vobis obvenient, reum aget, expro-
„brans mihi inclementiam meam, qui
„cum ſervare vos poſſem, perire tam
„crudeliter ſiverim.„

Ceterum illud facile admitto, ſectam *Foe* huic doctrinæ errores aſſuere Pythagoricos, &. *Metempſychoſin* admittere, fundamentum ſomniorum & mendaciorum, quo *Bonzii*, ſacerdotes idolo-

latræ

latræ, graviter illudere populis solent. Nolo autem plura de Animarum post mortem permanentia, quoniam adeo illa nobis cognita est sententia, ut notum sit, certare RR. PP. Missionarios bini ordinis, an Sinæ cultum illis animabus tanquam *in tabella residentibus* exhibeant in parentalibus suis officiis, & eorum annua repetitione?

§. 48.

Liberales Artes sex numerat *Confucius*, sed reipublicæ accommodatas, non scholæ; vitæ, non otio; usui velificaturus, non curiositati. Postulat, ut *aut reipublicæ* regendæ animum Cives applicent, *aut*, ubi ad Magistratus gerendos non adhibentur, *artibus* operam dent liberalibus: *Humilibus* quidem illis, sed *utilibus*. Simplicitatem illæ sapiunt antiqui temporis: Suntque ut diversis locis indicatum deprehendi, ars *aucupandi*, *piscandi*, *aurigandi*, *jaculandi*, *agricultura* & res *hortensis*. **Artes Sinensium liberales.**

L. III. P. V. fol. 53. *Confucius* data per rusticos occasione sic loquitur: „Inter *sex* artes nostrates liberales duæ sunt ad ingenium rusticorum magis accommodatæ, *aurigandi* scil. & *jaculandi*.„ fol. 55. „Ego adolescens cum essem, conditione fui satis humili; idcirco Magistra paupertate doctus multa nunc calleo; sed humilia vulgariaque (*aucupari*

scil. *piscari*, aurigari, jaculari &c.) Ego primis ætatis meæ temporibus non admotus fui gerendæ reipublicæ: idcirco didici, perdidicique artes liberales.„ L. III. P. VII. fol. 91. „*Fan chi* pertæsus corruptos mores ætatis suæ, rogavit doceri *Agriculturam*. *Confucius* respondit: Ego non sum instar veterani Agricolæ, peritus artis rusticæ: peritos consulito. Rursus itaque rogavit doceri *rem hortensem*: Confucius respondit: Ego non sum instar senioris hortulani; Tu adi, & consule, quorum id munus est.„

Musicam tantum abest, ut contemtui habeat, ut, altius elevatam, inter præcipua domandorum affectuum subsidia collocet, & inter Imperii fulcra connumeret: *Sinensem* tamen *musicam* Vir philosophus in animo habet, cujus indolem tertia speciali sectione explicabimus. Redeamus ad Practica, Sinicum secuti genium.

§. 49.

Primum Philosophiæ Moralis Principium.

Universale & *Primum* philosophiæ Moralis & Politicæ *Principium* est, ut *metiamur alios ex nobis* tanquam similiter affectos, eosdemque omnes amore sincero, atque universali, *ut fratres*, imo *ut nos ipsos* complectamur. Antiquius est *socialitatis* principium, quam ut cum *Hugone Grotio*, aut *Samuele Pufendorfio* natum videri

videri debeat: Confucius illo non semel utitur. *Neque* ille *negativa* solum officia ex illo fonte ita deducit, ut *perfectam* hominibus obligationem imponat: *Duplici* illam concordiam, socialitatem, ex seipso mensuram, *capite* absolvit, nullo facto obligationis discrimine. Quod Tibi fieri non velis, vetat alteri facere: Hoc est *vulgatius*, & praestitu quoque facilius interdictum. *Sublimius* illud est: facere aliis, quod Tibi velis fieri. Utrumque aut combinat Philosophus, aut indifferenter usurpat. De utroque locum exhibebo.

Libro III. P. II. fol. 16. ita *Confucius* ad discipulum: „Heus tu, mi discipule, mea doctrina *in radice* sua *unum* quid est, seu in uno maxime fundatur principio, quo ipse utor deinde in ordine ad omnes reliquas actiones. *Çem çu* Magistri mentem feliciter assecutus, prorsus, inquit, res habet, ut dicis. *Confucio* non multo post egresso, discipuli ab *Çem çu* sciscitati sunt dicentes: Ecquid obsecro significant illa Magistri verba? ad quos *Çem çu* sic ait: Confucii doctrina *fundamentalis* & *unicum* recte vivendi principium hoc est; *quicquid agas agere vere, ex animo, totisque viribus, & a 7uo ipsius corde gradum facere ad alios*: seu talem Te esse erga alios, quales esse velis alios erga Te;

atque hoc sufficere, nec alia re esse opus.„ Et P. VIII. fol. 114. „ *Çu cum* sciscitando ait: Num forte extat unum aliquod vocabulum, secundum quod velut normam quampiam possit quis per omnem vitam operari? *Confucius* respondit: Nonne istud vocabulum est *Xu*? scil. Tibi quod non vis, ne facias erga alios. „

§. 50.

Modus applicandi perquam elegans. Sufficerent illa ad rei veritatem: Præstat autem, & *modum* ostendere, *quo* principium *applicent* Philosophi Sinæ ad specialia. Duplex causa est, quare locum ex Primo libro classico eximium transire silentio non possum. Vulgatum id verbum est inter omnes etiam nostrates, quod principii loco *Confucius* veneratur: Neque memini tamen, exinde deduci officia *erga Majores*, & præcipue adversus *Posteritatem*; Officia sane, quæ momentum haud leve trahunt, atque efficacia in non paucis casibus argumenta faciendorum æque ac omittendorum præstarent, si posterorum quoque rationem haberi frequentius contingeret. Tum vero *ad ipsos* quoque *Principes* & Imperantes, tanquam populi patres atque matres, applicari id dictum elegantissimi præcepti accommodatione, & vocabuli interpretatione video.

Locus inter multos alios insignis hic est: L. I.

L. I. fol. 26. 27. „ Quæ Tu aversaris in *superioribus*, ne agas cum inferioribus; quæ aversaris in *inferioribus*, ne agas cum superioribus: *quod* item odisti in *antecessoribus*, in eo ne præeas Tuis posteris; & quod odisti in *posteris*, in eo ne sequaris antecessores: quæ denique damnas in iis, qui sunt a *dextris*, ne agas cum iis, qui sunt a sinistris; & contra, quæ improbas in iis, qui sunt *a sinistris*, ne agas cum iis, qui sunt a dextris. Verbo: *quod Tibi fieri non vis, alteri non feceris.* Atque hæc est & dicitur *vera mensura* normæque *ratio*; qua usus *probus* quisque *Princeps* illud tandem consequitur, ut factus ipse *cum populo* suo velut *Cor unum* & anima una, eadem, quæ populus, velit nolitque, *Pater* jam verius dicendus *populi*, quam Dominus. *Carmen ait*: laudabilis amabilisque ejusmodi Princeps plane est populi *Pater ac mater*. Populus quibus gaudet, gaudere, & populus quæ aversatur aversari, hoc dicitur esse populi patrem & matrem. Regem actiones suas omnes *ex populi* sui *affectu* & voluntate metiri moderarique, filiorum instar ipsum fovendo ac tuendo, res est, qua populus devinciri inprimis, subditique omnes ac singuli mirifice gaudere solent. *Si* itaque *hoc eodem Rex* etiam ipse *gaudeat*, ut, quod populus in votis, hoc ipse in

(quid Pater Patriæ.)

 opere

opere habeat; istud est, Regis cor in subditorum suorum animos ita transfusum esse, ut iisdem, quæ isti desiderant, ille gaudeat; & quæ hi oderunt, etiam ipse aversetur, plane patris instar ac matris filium suum intimo affectu complectentis. *Unde & populus* hunc ejusmodi *Regem* vicissim patris utique & matris loco habebit; qui est præcipuus metientis alios ex se ipso effectus. „

§. 51.

Modus cognoscendi Hominum Animos.

Video excrescere paginas, nisi frena adducam: ad primam igitur philosophiæ partem declarandam *nonnisi duo* argumenta adjungam. Referimus ad moralis doctrinæ theoriam communiter quoque *methodum cognoscendi alios* juxta se *homines*. Magnifica nostro ævo polliciti sunt quidam philosophi: Dubites tamen, an præcipuam promissorum partem expleverint sua Temperamentorum enarratione parum perfecta. Non est hic locus edisserendis illius argumenti defectibus idoneus; illud omnino animum oblectavit, ubi primum animadverti, meam judicandi rationem consentire antiquis Sinarum placitis. Si Temperamenta *ex corpore* dijudicantur *solum*: indicia sunt animi mirifice lubrica. Cum *ex animo* per actiones hominis externas intelliguntur: ambages arbitror, ex actionibus animum, ex animo tem-

temperamentum, ex temperamento rursus animum conjicere. *Salvo meliori judicio*, malim cum aliis ita rationes subducere meas: Certum est hominem non appetere, nisi quod bonum arbitratur: Collectis igitur & collatis pluribus ejusdem hominis actionibus, præcipue illis, quibus intercurrere affectus solent, tanquam e casibus *specialibus* licet *generaliter* intelligere, quales ille res bonas & appetibiles judicet; Ita *generalia* istius *principia* intelligo, quæ mutuo comparata, notis inter Recentiores Logicos artificiis, eo attendentem deducunt, ut intelligat, in quonam *generalissimo* omnia consentiant, & quomodo illa *mutuo* sibi *concedant*, aut *prædominentur* collisa. Sic vero arbitror, ubi satis actionum observaveris, posse illarum *fontes* intelligi, & *fines* dijudicari, & in posterum divinari, quid unoquoque casu futurum sit.

§. 52.

Confucium, opinor, haud multum ab ea theoria abesse, cum indicat, quo pacto in ferendis caute judiciis, *verba* factis, *facta* fini, *finem specialem* generali, & *proximum* ultimo subordinare necessum sit; neque enim differunt hoc loco fines actionum ab agendi rationibus & motivis. Præstat vero ipsum audire Philosophum. Ex doctrina Sinarum.

Libro igitur III. P. I. fol. 13.&14. sic legos

„ *Confucius* ait: Probos ab improbis discernere sæpe est difficillimum. Ut tamen discernas, primum quidem observa, is, quem perspectum vis habere, *quid agat* rerum ac moliatur? Improbi namque fere committunt, quæ iniqua sunt ac turpia, probi vero, quæ cum honestate justitiaque sunt conjuncta. Sed quoniam hæc non sunt omnino certum probitatis argumentum; penitus inspice & considera attentius *operis* cujusque *finem*, ipsi quo animo scilicet, quove consilio, quæ honesta, justaque sunt, faciant; quippe si ficte & simulate, si pravo perversoque consilio, quamvis optima sint, quæ agunt, probi tamen censeri, quando sic agunt, haudquaquam poterunt. Sed neque hic consistere poterit, quisquis errare non volet, erit illi procedendum ulterius & exquirendum, is, qui probus esse videatur, *in quo*, sive quibus in rebus studiisve *conquiescat?* Si enim quæ facit, cum fide justitiaque, quæ item bono fine atque consilio, parum tamen volens, & quasi per vim coactusque faciat, sic ut animus ipsius non ex ipsa virtute vel honestate operis, sed aliunde quietem & oblectamentum petat; certe nec consummata dici poterit probitas illa, nec esse, qualiscunque tandem fuerit, diuturna. Porro, si quis usus fuerit hujus-

jusmodi animadversione & examine, eum homines quo pacto lateant? eum homines quo pacto lateant? quomodo non perspectos habeat? facile profecto, ac citra periculum erroris, probos ab improbis, a vitio virtutem discernet.,,

§. 53.

Ultimum hoc capite præceptorum genus illud attendere juvat, quod in *officiis docentium* atque *discentium* continetur. Officia docentium. Norunt *Sinæ*, quantum Reipublicæ interfit futuros ad virtutem Cives præparari: *Summam* igitur in eo curam ponunt, ut *liberorum* educationi atque *institutioni* exquisite prospiciant. Duabus id negotium partibus absolvitur: altera *ad Parentes* pertinet, inferius declaranda ex instituto; altera *ad doctores* refertur & discipulos. Eorum officia summatim collecta vel eam ob causam enumero, quod nullo nostrorum Compendio Morali *sigillatim* inserta aut exposita vidi. *Confucii* igitur *sententia* & *exemplo*: (namque e factis illius præcepta faciunt & Sinæ, & ego Compilator more Sinico) *legitimus Doctor* in institutione tenet ordinem, neque negligit minora, neque urget nimium, sed pedetentim progreditur ad altiora; distinguit adeo fundamentum seu radicem a ramis; nihil celat ad virtutem pertinens; tentat & distinguit discipulos; accommodat sese fini discentium,

um, & ingeniis, & profectibus, & moribus; doctrinam neque obtrudit, neque circumforaneus est, neque tenebrio; Captat vero occasiones, quas potest; repellit neminem, nisi inertem; non vult esse inutilis cucurbita, sed tamen incorrigibiles non adit; affabilis est, & modestus præcipue; agnoscit imbecillitatem, & fatetur ignorantiam; detestatur errore novo excusantes priorem; sedulus non fatigatur docendo; exigit omnia ad normam Rationis; discordes autem sectas fert tranquille; ipse est eclecticus; sed nequaquam Novator; accommodat se omnibus, ut de omnibus bene mereatur; doctrinam habet cohærentem, quam judicio magis, quam memoria tenet. Veterum quoque libros factis magis, quam verbis citat; & in universum primum agit, tum docet. Discipulos habet pro filiis; juvenes veretur ob spem futurorum profectuum, & in Republica usuum; gaudet eorum virtute; malitiose peccantes abnegat; immemores corrigit; familiaritate fidentes facit, ut, dum vota eorum exquirit, animum cognoscat; eorum alacritate, etsi minus apposita, utitur in rem suam; sed spiritus reprimit; aliquando tecte redarguit; pungit similibus; auditores magistrum suum recta monentes audit, approbat, lætatur; ægrotos visitat; mo-

ritu-

stitutos luget; mortuorum meminit, & prædicat virtutem, & exempla condiscipulis commendat; omnes caute dijudicat; commendat ad officia cum magno selectu, prout unumquemque diversis eorum generibus aptum esse intelligit; mortem non curat, si doctrina & virtutis studium perennet; illi autem sollicite invigilat, & minantibus periculis metuit, atque ut potest cavere nititur &c.

Elegantius ista sonant, *a Confucio* enunciata: L. III. p. IX. fol. 128. inquit: Bene beateque vivendi rationes ac præcepta *de via* forte audita protinus de via proloqui, & auribus vix dum percepta, per os illico profundere; neque hoc agere, ut ea Tibi ipse primum applices, quam impertias aliis, virtutis quædam projectio est, contemtus ac repudiatio. „ Eodemque loco fol. 129. 130. factis potius quam verbis docendum esse, in simili sic indicat: „ Posthac ego velim *nihil fari* amplius. Miratus vocem discipulus; Magister, inquit, siquidem posthac nihil profaris; tum nos discipuli quid discemus, & consequenter aliis referemus? quid posteris impertiemur, quando nihil ipsi accipimus? Respondet quærenti Confucius: *Cælum quomodo fatur?* qua voce, qua ratione nos docet ac instituit? Ecce quatuor anni tempestates, ut peragunt cursum

ſum ſuum? ut item univerſæ res feliciſſime procreantur! Declarant hæc ſcil. & ſilentio maxime facundo deprædicant arcanum illud principium ſuum, in quo uno vertuntur omnia. Cœlum igitur, quod rem tam arcanam tam diſerte loquitur, quo tandem modo loquitur?" Sed vero hæc ſufficiant de Doctoribus in ſpecimine.

§. 54.

Officia diſcentium.

Diſcipulorum officia paſſim tradita, & e frequentibus Confucii auditorum exemplis a me derivata, in compendio hæc fere ſunt, digna quæ imitationem, atque omnino æmulationem inter noſtros excitent: *Eſto* docilis, in ſtudendo impiger, in conſulendo diligens, in meditando ſolers; Magiſtro docenti attendat ſolicite, audita quotidie repetat, & exerceat præcipue; Conjungat meditationi exercitationem, & vice verſa; diſcat omni occaſione, tempore, loco; adhibeat conatum, proponat dubia, inferat plura per ſe, & deducat nova ex antiquis; diſcat, quaſi nondum aſſecutus; quæ non ſatis percepit, hæſitanter edicat; proficiat ex monitis etiam aſperis; gaudeat callide inſinuatis; omnia factis expleat; Magiſtri doctrinam ut ſublimem & profundam veneretur; eidem non cedat ſtudio virtutis; ſed neque ſe illi de cetero anteferat; præcepta magiſtri anno-

notet, ejus de se sententiam exquirat, doleat, si illi non probatur, & emendet culpam; fatis ejus adversis angatur; errantem admoneat; prænumeret minerval pro facultatibus suis; de seipso sentiat modeste; audita prius sibi applicet, quam aliis profundat; decoro sollicite studeat; sciens & virtuosus esse, quam videri malit; seipsum subinde de profectibus examinet; cumque non omnia possit ipso opere explere, angatur & attendat sibi; alios se meliores & peritiores consulat; imitetur etiam; & condiscipulos hortetur ad imitationem; discernat illos, ut intelligat, quibuscum possit inchoare studium virtutis, quibuscum decurrere, & quibuscum absolvere liceat; & quæ sunt plura ejus generis.

Non hoc *specimen* foret, sed volumen, *si singula* verbis firmare vellem Philosophi. Duos hic locos allegabo L. III. P. IV. fol. 37. Confucius ait: „In schola sapientiæ non adhibentem *conatum*, hunc ego quidem non erudiam. Item non *aperientem* mihi verbis *mentem* suam, quia scil. vel nolit, vel non possit: eum nec ego intelligam, nec errores ejusdem vel dubia habere potero perspecta. Denique proponente me unum quadrati angulum, & tamen non ex hoc reliquos tres angulos *per se inferenti*; huic certe non

non repetam amplius eandem frustra crambem. „ Prolixius id secundo libro fol. 67. 68. persequitur, generalibus quinque Regulis, quibus studiosum sapientiæ instruit: „ 1. Ut rerum omnium rationes caussas & congruentias non obiter & carptim, sed *plene* lateque *perdiscat* studiosus sapientiæ & virtutis; qui enim assequi conatur solidam perfectionem, multa serio perdiscat necesse est. 2. quia vero in iis quæ didicit, erunt forte, quæ nec dum ita novit, quin dubia quædam suboriri possint, oportet, ut præmature discutiat quærenda, *examinans* singula, & *consulens* de his Viros sapientes & rerum peritos. 3. Quamvis explorata videatur habere omnia, quia tamen pronum est, aut excessu aut defectu quopiam peccare, necessarium deinde erit, ut non oscitanter, sed sollicite, attente & studiose secum ipse iterum iterumque ratiocinando *meditetur*, atque expendat singula. 4. Oportet insuper, ut non confuse, sed clare *distinguat* res inter se, bonum a malo, verum a falso mature dijudicans. 5. Quibus denique sic perfectis necesse est, ut non ficte, sed solide & *constanter operetur*, seu res, de quibus apud animum suum prius ipse statuerit, totis viribus exequatur. „ Et post pauca addit: „ Si quis igitur hoc revera a se impetrare possit,

possit, ut sine intermissione saltim conetur servare dictas quinque regulas, quamvis ipse rudis fuerit & ab arte ac Natura parum juvari se sentiat, tandem tamen evadet clare intelligens; & quamvis sit modo mollior & imbecillior, tandem aliquando fortis evadet exercitio virtutum.,,



SECTIO SECUNDA
SPECIALIS.
DE EMENDATIONE VOLUNTATIS.

§. 55.

CUlturam intellectus *excipit* emendatio voluntatis. Quo utramque vinculo Sinenses conjungant, antea exposuimus: Hoc loco id persequi convenit, quod de virtute generatim prædicant, & speciatim ad diversas virtutum classes applicant. *Stoicos* horrida, lubrica *Epicureos*, *Aristotelicos* sterilia præcipere, vulgata omnium sententia est: *Sinas* video idonea & humanæ vitæ accommoda, solida & tuta, fœcunda etiam & utilia suadere. De natura virtutis, & pretio, & præmiis, & amplitudine, & mediis præcipue ratiocinantes cum voluptate audio. Ingressus ad tractationem.

§. 56.

Virtus debet esse interna.

Absit ut externa *virtutis simulacra* probent: Internam postulant, & *solidam* illam, & constantem; adeo quidem, ut *Confucius* de aliorum virtute judicaturus e factis, sane splendidissimis, illa quidem & approbet, & suorum imitationi impense commendet, de interna animi soliditate judicium constanter suspendat. Illustre facti ejus *exemplum* inferius occurret, ubi sexta speciali sectione officia Ministrorum dignitate motorum e Sinensium præceptis allegabo.

Testimonium aliud hoc loco accipe ex L. III. P. IX. f. 128. „Qui oris externa specie graves, constantes, severi sunt, & tamen intus, in animo inquam s[illegible], mobiles & flaccidi, ii recte *comparantur* cum abjectis improbisque quibusdam hominibus, qui cum *noctu fures* sunt, *di[illegible] die* tamen gravis & *honesti* viri personam gerunt: Sic & isti sunt prorsus ad[illegible] quorundam vel perforantium vel tra[illegible]lientium parietem nocturnis horis latro[illegible]num.„

§. 57.

Regimen Cordis sollicitum.

Cor, inquit L. II. fol. 41. homin[illegible] cum est, sed mobile & inconstans; cum privato affectu ducitur, *Cor hominis* vocatur; cum ex rectæ Legis dict[illegible] agit, *Cor rationis* audit; Jubet igitur attendere Cordi præcipue, & motibus ejus etiam

etiam intimis atque ſubtiliſſimis; ita ut ne cogitationem quidem habeas, cujus conſcium eſſe Cœlum nolis; Simulator enim homines fallit, non Cœlum; cui purum mane & veſperi animum offerre * oportet.

L. III. P. VI. fol. 79. Confucius mœrentem diſcipulum ſic admonet officii: Interiora animi diſcutiens ſevero examine, nec inveniens tamen quidpiam vel erroris vel culpæ, cujus eum pœniteat pudeatve, ſic prorſus, ut nihil *egerit* rerum, quod non vulgari poſſit inter *homines*, nullam volverit animo *cogitationem*, cujus nolit conſcium eſſe *Cœlum*, ejusmodi

* *Phraſis* eſt *Imperatoris* Sinici, ſed recentioris *Gin ſum*, de quo ita lego in Chronologica Monarchiæ Sinicæ tabula, jam ante allegata, fol. 70. „Anno Imperii 26. (eſt Annus poſt Chr. N. 1050.) cum poſt magnam ſterilitatem pluiſſet tandem, Principique gratularentur Proceres: *Omni*, inquit, *illo tempore, quo aquarum penuria laboratum eſt*, *ego* quotidie *ſuccenſis rite odoribus Cœlum deprecabar: nocte cùm audirem tonitru, ſurrexi de ſtrato, cingulum ſumens & pileum, ſub dio conſtiti*, (attendite Lectores!) *& ſimul atque pluit, procidi in genua, & ſalutans reverenter Cœlum, gratias eidem egi, ac ſic demum auſus fui ad cubile meum reverti: Nunc* rem unam *inprimis expeto, ut mihi fidenter ſignificetis, qua in re forte peccem: etenim vereor, ne inane* nomen *geram, & pluris quam par eſt faciam apparatum* exteriorem. *O quam præclarum eſt, & quanti refert*, veſpere & mane *afferre animum* uſquequaque *purum*, quoties *Cœlum clam quoque & privatim deprecamur*.„

vir quorſum obſecro triſtetur? quorſum timeat? Eadem parte VI. fol. 73. negandi intentione ita quærit Philoſophus: „Diſcurrat quiſpiam ac *diſputet* de rebus optimis, nec *copioſe* modo, ſed etiam *ſolidis* firmiſſimisque rationibus, ſic, ut talis habeatur ab omnibus, qualem ſonat ipſa oratio, *an* hic *illico* cenſendus erit vir virtutis ſolidæ, an fucatus & fictus?„

§. 58.

Homo debet, *Gaudere* virtute.

Neque ſufficit Confucio, *ſtudere* homines virtuti, vult ut graviter & omni cura in eam incumbant, ut perſiſtant in incepto tramite, ut virtutem virtuti accumulent, ut ſemel apprehenſam fortiter teneant, & quod omnino tenerum eſt & admirabile, ut homines virtute *gaudeant*, quemadmodum gaudent venuſta corporis forma atque oris elegantia. *Fortius* præceptum eſt, cum admonuero, *Confucii ætate* Regnum inter Sinica fuiſſe aliquod, in quo Dignitates, cenſus & officia nonniſi illis patebant, quos aut linguæ facundia commendaret, aut venuſtas corporis ornaret. Id ſequentem Philoſopho ſententiam & loquendi *formulam* expreſſit, aliquoties obviam.

Libro III. P. V. fol. 58. „Ego adhuc non vidi, qui ſic gauderet virtute, ſicuti gaudet quis formoſi oris corporisque elegantia

tia & venuſtate. „Idemque L. III. P. VIII. fol. 113. cum dolore philoſophus repetit: „Proh dolor! Actum eſt. Ego nondum vidi, qui gauderet virtute, ſicut quis gaudet eleganti forma corporis.„

Neque vero iſthæc ex accidenti dicta intelligas; *prima*, quæ occurrit expoſitio præcepti de Emendatione voluntatis iſta eſt, obvia L. I. ſcientiæ Sinicæ, fol. 13. ubi ſententiam Magiſtri de veritate & ſinceritate intentionis ac voluntatis ita Çem çu diſcipulus Confucii ſecundus, & Commentator explicat:

„Verificare a fallacia ſuam voluntatem eſt non ſemetipſum decipere, ſicut averſatur quis fœtida, ſicut gaudet ſpecioſis pulcrisque viſu. Hujusmodi dicitur ſibi ſatisfaciens. Igitur perfectus Vir tam ſerio attendit & invigilat ſuo interiori.„

Pleniorem vocabuli declarationem ipſe etiam *Confucius* exhibet, cujus exquiſita plane interpretatio legitur L. III. P. II. fol. 15.

„Ego nondum vidi quemquam, qui *gauderet* virtute, & *abhorreret* a vitiis ſeu, improbitate. Utriusque *ratio hæc* eſt, quod eum, qui gaudeat virtute, velim tam inflammato illius ſtudio & amore teneri, ut *nihil eidem* anteponat. Rurſus, qui abhorreat ab improbitate, eum ſic volo operam dare probitati, ut,

„non patiatur, *ne tantillo quidem*, quod „vitiosum sit, affici & inquinari suam personam.„

§. 59.

Excusatio imbecillitatis refutata.

Impossibile id præceptum caussabuntur, & imbecillitatem allegabunt humanam, quibus incommodum est, blandientes sensuum voluptates commutare solidis virtutum præmiis: illos ita *Confucius redarguit* hoc ipso loco, contendens si vel unius diei spatio in illam serio curam homines incumberent, fieri & obtineri posse, quod ipsi supra vires positum existimaverint. Pergit enim:

„Veruntamen an est credibile, dari quempiam, qui generoso determinatæ mentis consilio *velit*, adeoque possit vel *unius diei* spatio impendere *omnes* vires suas in studium virtutis, & tamen ad eam non pertingat? Ego certe *nondum vidi quemquam*, cujus adhoc vires non sufficerent. Fortasse tamen dabitur, qui revera tam imbecillis sit: at ego certe necdum vidi quemquam.„

§. 60.

Classes studiosorum virtutis tres.

Quæ cum ita sint, mirum non est discernere philosophum ipsius quoque virtutis studiosos in *tres* classes; *infimum* illis locum asserere, qui naturam ejus & necessitatem intelligant; *proximum* illis, qui virtutem studio affectuque suo prosequan-

sequantur; *supremum* his, qui lætabundi ea potiantur.

Libro III. P. III. fol. hæc verba sunt: „Confucius de tribus quasi classibus hominum virtutem profitentium sic ait: Si qui *intelligunt* ac satis perspectum habent, quid sit virtus, & quantopere sit expetenda, non sunt æquiparandi cum iis, qui *amant*, id est, qui virtutem studio affectuque prosequuntur: sed hi quoque virtutis amantes non sunt æquiparandi cum illis, qui jam læti *potiuntur* eo, quod amant.„

§. 61.

Fundamentum virtutis in ipsa cordis veritate & rectitudine quærunt. Imperatoris Yao, secundum Chronologiam Sinicam, mille & sexcentis ante Confucium annis, hoc ad successorem Xùn dictum refertur in Xu Kim, antiquissimo gentis Libro: *Fundamentum virtutis unicum.*

„Oportet, ut serio examine Cor identidem depures a pravis & privatis, quæ tacite sese insinuant, affectibus. - - - - Radix & fundamentum, cui innititur recta orbis Terrarum administratio, unius est Cordis Rectitudo & norma.„

§. 62.

Succinit vero Confucius eleganti loco, quo *regulas* vitæ *universales* quinque; tria vero ad easdem exercendas *media*; & *fundamentum* illorum unicum, in soli- *Virtutes Generales, Tres: Regulæ universales quinque.*

 di-

ditate cordis, & veritate ejus, & recti-tudine situm enumerat.

Lib. II. fol. 61. 62. „Totius orbis universales & obviæ regulæ seu viæ sunt quinque: Ea vero, quibus practice exercentur illa, sunt tria. *quinque Regulæ* sunt, videlicet 1. *Regem* inter & subditum justitia. 2. *Parentes* inter & filios amor. 3. *Maritum* inter & uxorem debita ab aliis distinctio, seu fides conjugalis. 4. *Fratres majores* natu inter & minores subordinatio. 5. Denique mutua, quæ *amicos* inter sunt, Concordiæ & Consuetudinis officia. Hæ quinque sunt orbis hujus generales viæ ac Regulæ. At vero *prudentia* in discernendo bonum a malo; *amor* quidam *universalis* erga omnes; & *fortitudo* in prosecutione boni, & fuga odioque mali, *tria* hæc sunt orbis generales seu *Cardinales virtutes*, per quas perfici debent quinque Regulæ. Id vero, quo exercentur tres illæ virtutes, est *Unum quid*; seria nimirum & vera *Cordis soliditas*, veritas & rectitudo; Nam si ex ficto & fallaci corde dictarum virtutum una procedat, ea profecto non erit virtus censenda, sed vitium.„

§. 63.

Corollarium de Animi Motibus.

Quod si igitur virtutem (externam scil.) e fallaci corde profectam, vitium appellant Sinæ, ut modo vidimus, mirum non

non eſt, tantam præcipi vigilantiam & ſui attentionem, ut neque *minimi* & ſubtiliſſimi in animo *motus* excipiantur. Fateor, illud liquido nondum a me deprehenſum eſſe, *an* ipſos *primos* animi *motus* ita in vitio ponant, ut *imputari* illos poſſe, & pœnas homini accerſere opinentur? an ea *tantum* de cauſſa, illis attendere jubeant, ut ne quas in mente turbas excitent, & voluntatem ad malas actiones cum efficacia pelliciant? Utcunque illud ſit; *non* enim arbitror, id *Theologiæ* noſtræ *adverſum* fore, ſi ea *Sinis* cognitio tribueretur, argumentis quidem, qualia in *Epilogo* indicabimus: Enunciatum *Confucii* dignum eſt, quod ubique legatur, & ſæpenumero.

Libro quidem ſecundo, pæne ab initio fol. 41. inter plurima ejus generis effata, ſic loquitur: „*Motus animi* id fere ſunt, quod non apparet, quia *reconditi*, & ſibi ſoli noti; ſunt item id, quod non eſt manifeſtum, quia admodum *ſubtiles*, & minimum quid: * ideoque

 per-

* Si moleſtam hic *Tautologiam* Lectores nauſeent: fateor mihi ſic intelligi ſermonem, ut *prima* enunciatio reſpiciat ad cognitionem *aliorum*, ſunt enim in homine *reconditi*, neque cuiquam noti hominum præterquam ipſi: *ſecundam* refero *ad ipſum* hominem, qui motus illos experitur; ſunt enim adeo *ſubtiles*, ut non raro attentionem ſolliciti hominis eludant, multoque magis effugiant cognitionem

perfectus Vir tam ſolicite invigilat Cordis ſui ſecreto, & cautus eſt in internis, quæ ſolus ipſe intuetur. Quo deinde fit, ut qui *aliis reconditi* & abſtruſi ſunt, intimi ſcil. cordis receſſus, ei tamen ſoli pateſcant; qui item *ſubtiliſſimi* ſunt, ac percipi vix poſſunt, minutiſſimi ſcil. animi motus, ſive ad bonum ſive ad malum, ei tamen ſoli manifeſti omnino ſunt,, Et L. III. P. I. fol. 9. ſic lego: ,,*Odæ trecentæ*, id eſt, doctrina, quæ trecentis priſcorum Sapientum odis continetur, *unico verbo* totæ comprehenduntur, dum dicitur: *Noſtra mens omnis & cogitatio ſit absque ulla pravitate*; quippe ſi id, quod turpe vel iniquum eſt, ne *prima* quidem cogitatione delibamus, multo minus illud reipſa, factove aliquando ſuſcipiemus.,,

§. 64.

Virtus conſiſtit in tenendo & regendo medio.

Theoretica, ſi quis poſtulaverit; in tenendo medio virtutem collocat Philoſophus. *Integer* ita *libellus* inſcribitur, inter claſſicos ſecundus. Brevior ſententia eſt L. III. P. VI. fol 72. *Çu cum* quærit de condiſcipulis *Su* & *Xam.* reſpondet Confucius: *Su* excedit; *Xam* non pertingit. *Ambo* deerrant a medio. Ad exceptionem vero diſcipuli: ergo *Su* antecellit

tionem eorum, qui ſibi ipſis attendere negligunt. *Scio*, quid dicam? verum hic locus non eſt ediſſerendi mea, ſeu Confucii philoſophemata.

tecellit ſapientia alterum: Laconice iterum Magiſter inquit: *Proprius* ſapientiæ locus eſt medium; quod qui tranſilit, ſimilis eſt non attingenti. *Alibi* tamen in *regendo* magis *medio*, eodemque ad rationis dictamen conformando virtutem collocat. Ejusmodi eſt; cum Libro Secundo dicto *Chum-Yum*, id eſt, de medio ſempiterno, fol. 41. inquit, *paſſiones* animi priusquam pullulent, dici *medium* ſeu eſſe in medio, quia ſunt adhuc indifferens quid ad exceſſum & defectum; ſed ubi pullulent, & rectæ rationis dictamen attingant, dici *Conſentaneum*.

„*Paſſiones animi*, ut ſunt gaudium ex Proſperis, ira ex adverſis, triſtitia ex jactura, hilaritas, ſeu læta fruitio rei obtentæ, priusquam pullulent prodeantque in actum, dicuntur *medium* ſeu eſſe in medio, quia ſunt adhuc indifferens quid ad exceſſum vel defectum: At ubi pullularunt, & omnes attigerunt rectæ rationis dictamen, dicuntur *conſentaneum*, ſeu quidam paſſionum inter ſe & cum ipſa ratione concentus. Et quidem, cum ſunt in medio; orbis univerſi *magnum principium* ac omnium bonarum actionum fundamentum dicuntur: Cum ſunt rationi conſentanea, orbis Univerſalis *Regula*, ſeu Regia humani generis via dicuntur. „

§. 65.

§. 65.

Pretium Virtutis.

Pretium virtuti *tantum* statuunt, ut majus non possint: Sine virtute nihil sunt facta, quantumvis splendida: illa lucrum est sapientis, illa voluptas durabilis: auro & gemmis omnibus excellentior: potior Imperio.

Verba dabo Legati cujusdam Regni Çù, qui a Magnate Regni Çín de opibus gemmisque pretiosis quæsitus, etsi patria illis non careret, ita tamen respondisse legitur in Primo Scientiæ Sinicæ Libro *fol.* 30.: „*Çù Regnum nihil habet, quod reputet pretiosum; solum & unicam virtutem reputat pretiosam.*„ quid videtur de sententia *Ven cum* Reguli in Regno *Çin*, qui ob novercæ insidias regno excesserat, & defuncto postmodum Patre in luctu constitutus alibi terrarum latitaverat; admonitus autem ab hospite, qui operam suam & arma obtulit Regulo, ut Patrium Regnum armatus repeteret, ita respondit: *Mortuus ego homo nihil habeo, quod ducam pretiosum*, ne quidem ipsum Regnum, quo ultro excessi; *Sola virtus, & pietas erga parentes est, quam duco pretiosam*, & *ita* quidem, *ut* malim carere regno mihi debito, quam arma capiendo, frangere luctus jura, & lædere pietatem demortuo Patri debitam, quæ arma capere

hoc

hoc luctus tempore prohibet.,, vid. l. c. folio 31. ut placet exemplum Reginæ *Kiam*, ducentis ante Confucium annis claræ, quæ mariti *Si ven Vam* mores detestata detractis sibi inauribus gemmisque Regem adiit? dicens: ,,*Tu o Rex gaudes luxuria, & oblivisceris virtutis, quam ego præ lapidibus pretiosis longe pluris facio.* &c. Fuit illa adeo *efficax oratio*, animumque Imperatoris ita immutavit, ut ex eo tempore ad virtutem rectumque Regimen sese applicuerit, quod postea duodecim adhuc annis cum laude administravit.

Atque hinc est, quod virtutem omnibus, ipsi etiam vitæ, anteponat Philosophus.

Libro III. P. VIII. fol. ,,Confucius ait: Vir excelsi magni que animi, idemque Vir virtutis solidæ, non flagitat vivere sic, ut damno sit virtuti suæ: imo datur, qui prodigat vitam, ut consummet virtutem.,,

§. 66.

Gloriæ ferax est, e longinquis finibus, ut tamen ipsa sibi sufficiat, si desit gloria: nunquam deserta instar est, sed cultores & sectatores suos habet: originem e Cœlo repetit: præmia sua non casu obtinet, sed certo secum trahit, inter illa est cibus quoque & census, qui virtutem non destituit, sed sequitur: denique

Consectaria Virtutis.

nique securos ab interitu Cultores præstat Virtutis studium.

L. III. P. VIII. fol. 115. „Confucius ait: *Populo in virtute plus est, quam in aqua & igne.* Aquam & ignem ego vidi, qui calcaret, & periret.„ Nondum vidi, qui insisteret virtuti, & periret.„ atque *iterum*: Philosophus laborat de Virtute; non laborat de *Cibo*: Et vero ipsam agriculturam fames subinde sequitur & insperata sterilitas; at in virtutis studio census & fructus nunquam deficiunt. quare philosophus angitur de virtute, non angitur de paupertate.„

§. 67.

Obtingunt Cœlitus. Præmia virtutis aliqua modo attigimus: *neque* illa *casu* obtinentur, sed *Cœli munere*. Digna sunt relatu verba Libri secundi Scientiæ Sinicæ fol. 35. Confucius eo loco deprædicat obedientiam Imperatoris *Xùn* erga Parentes suos, cujus hæc præmia enumerantur.

„Ideo magna illius virtus *non casu*, sed destinato haud dubie consilio, obtinuit suam illam a Cœlo dignitatem, seu Imperii Coronam virtutis præmium: Item haud dubie obtinuit suos tam amplos census, & immensas opes illas, quas ambit oceanus: haud dubie obtinuit suum illud toto orbe tam celebratum numen, famamque tantam: haud dubie denique obtinuit illud dulce præmium longævæ

gævæ ætatis, proprium scilicet præmium filialis obedientiæ.„

§. 68.

Sæpe animum subiit admiratio, quî fiat, ut incurii homines *Naturalia Moralibus* opponant? Naturalibus accidit caussis, ut grando cadat, & fruges perdat: Non id igitur pœnam licebit interpretari vitiorum antecedentium? aut cautelam adversus futura alioquin crimina Cælitus adhibitam? Reddunt agri & vineæ liberaliter: Num id virtutis præmium antegressæ, aut secuturæ allectamentum haberi non debet, quoniam ordinatis Naturæ viis liberalitatem Deus indulsit? *Num aliud* Principium est, quod Naturam condidit & conservat & regit, aliud, quod Moribus invigilat? *Si unum* est, num illi aut sapientia deficit, aut potentia, aut voluntas coordinandi conciliandique Naturam moribus, & præmia virtutibus. *Rectissime* hic *Sinæ* ratiocinantur. De *ordinato* enim *Naturæ cursu*, tanquam virtutis consectario, ita Philosophus eodem Libro II. fol. 42. Naturalia quoque Phænomena sunt Virtutis consectaria.

„Ubi perspecta fuerint medium & consentaneum, tum demum *Cæli* quoque *ac Terræ status* quietus, permanens ac pacificus, & *omnium rerum* uniformis propagatio vigorque consequetur.„ Quæ plenius loco allegato Commentatores Sinici ita persequuntur: Nam, si homo agat

agat semper juxta rectam rationem, quandoquidem hic unum veluti corpus cum universo efficiat, consequens erit, ut etiam Cœlum & Terra juxta normam sibi inditam agant, Planetæ influant absque vitio, quatuor anni tempestates absque defectu decurrant, juvenes optatos vitæ annos, senes finem Naturæ consentaneum, res denique omnes debitum sibi statum & locum consequantur.„

§. 69.

Inter Motiva ad Virtutem eminent Exempla.

De *Motivis* virtutum, & illorum opposita inflexione diximus aliquid in superioribus, §. 31. hoc loco illam placet prudentiam evolvere, qua *exemplis* persuaderi populos volunt, non præceptis. *Veritatem facti* ex primo Sinarum classico ostendam, tum vero *argumenta* rei indicabo, quæ mihi succurrant, fulcienda tamen testimonio quoque Sinico.

Philosophus L. I. fol. 20. ita: „*Yao* & *Xùn* rexerunt Imperium pietate & clementia, & populus secutus est illos. *Kie* & *Cheu* rexerunt Imperium crudelitate ac tyrannide, & populus item secutus est ipsos, imitando illorum improbitatem & scelera. Si quandoque ea, quæ *publicis edictis* ejusmodi Reges mandaverant, *contraria* erant iis, quæ ipsi amabant agegere, tum populus non obsequebatur; quia scil. videbat ipsos alia *foris* præcipere,

pere, & alia *domi* suæ agere. Hac de caussa probus Rex *prius* habet virtutem in seipso, ac tum *deinde* eandem recte exigit ab aliis; prius sine vitio in semet ipso, tum deinde recte illud reprehendit in aliis; quod vere est *ex se metiri alios*, & virtutem qua prior ipse plenus sis, in alios diffundere. Ubi enim virtus Tuo ipsius exemplo ac fama ad alios semel dimanaverit, tum enimvero his excitatus populus imitari Te volet, & sequi: Tu vero tum demum docere illum optimisque legibus instituere efficaciter poteris; secus operam perdes„ &c.

§. 70.

Generalis hic de exemplorum ad movendos homines efficacia *sermo* est: itaque illa, quæ ad Imperantes pertinent, specialiter suo quoque loco servabimus. *Seneca* verbum habetur: „natura contumax est animus humanus, & in contrarium atque arduum nitens, sequitur facilius, quam ducitur„. *Caussas* facti illas videor mihi deprehendere. *Præcepta* voluntatis arbitrium adstringunt; *exempla* liberum illud invitant solum: Inferioritatem *illa* quandam subinnuunt; *ista* ad æqualitatem admittunt: dubiam *illa* facti possibilitatem aut facilitatem relinquunt; *ista* & possibilitatem semper, & facilitatem aliquando, manifestant: *Illa* generalia minus fortiter animum affi-

Caussæ illius prærogativæ.

F ciunt;

ciunt; *ista* specialibus applicata casibus in oculos, imaginationem atque adeo mentem feliciusincurrunt: *Illa* perficiendi methodum, auxilia, casusque & circumstantias non complectuntur; *ista* semper comprehendunt, plerumque ostendunt: *Illa* facilius excidunt memoria, neque recurrunt, ubicunque debuerant; *ista* frequentius obvia familiarem animo actionem, & facile obviam memoriæ reddunt: *Illa* intellectum sola sui utilitate aut necessitate sollicitant; *ista* etiam affectus, & gloriæ stimulos, æmulationem, &, si neglexeris, pudorem, & ejus generis alia simul animo & efficaciter admovent: *quæ* sane *omnia*, *pluribus* si necesse fuerit *aliis* augenda, sunt ejusmodi, ut Sinicum per exempla suadendi morem optime commendent, ut demonstrent quoque veritatem effati, L. III. P. VI. fol. 83. obvii.

Ibi *Ki cam çu* de modo gubernandi ex Confucio sententiam rogans, sic ait; „Ego, si interficiam passim improbos & exleges, ut ita commodius accersam promoveamque probos & observatores legum: quid videtur?„ *Confucius* respondet: „*Tu si* quidem gubernas, *ut par* est; *quorsum* utare *suppliciis* tam crebro? Tu expete tantummodo, quæ recta sunt & honesta, constetque hoc omnibus; *statim populus* exemplo Tuo probus

probus evadet. *Gubernatoris virtus* quotiescunque rebus factisque palam se facit, *ventus* est: *subditorum* vero infimæque plebis virtus, *herba* est; Herbis si superveniat ventus: procul dubio hæ sese submittent, & obsecundabunt vento, quocunque faciles impelli.,,

§. 71.

Transeo ad *media* virtutis acquirendæ, conservandæ, augendæ. Præcipuam hanc philosophiæ moralis partem esse arbitror; atque omnino indoleo illi defectui, si quando in philosophia explicanda parcius id institutum attingitur. Equidem quæ illa doctrinæ *sufficientia* est, si virtutis studium Magister commendet, neque modum tamen indicet, quo illum sibi habitum induere Auditores possint. Itaque omnino magnifacio in ea parte *præcepta Sinica*; sunt enim effectui præstando apposita. Memini *Religiosum Senem*, atque in hac Regione Theologum, commendare juveni mihi ante cetera omnia quotidianum *conscientiæ examen* tanquam inter plurima præstantissimum proficiendi in virtute artificium. Illud ita *Sinæ* postulant, ut disertis verbis tanquam præ omnibus necessarium esse unicuique dicant, seipsum intus in jus vocare, & examinare, & condemnare, & punire.

Inter Media Virtutis est Examen sui serium.

Verba sunt L. III. P. III. fol. 26. „Actum

est, proh dolor! quotus enim quisque reperiatur hac ætate nostra, qui suimet severus censor sit, idemque testis, accusator, & judex - - - - - Ad quæ discipulus *Chum cum* fol. 27.: „Ut quis *domi* suæ secum ipse *severus* sit, & rerum quamvis minimarum rationem exigat ab se, & sicubi peccatum est, etiam pœnas; at vero *foris*, &, dum gerendæ sunt Res publicæ, tunc uti *remissione* quadam indulgentiaque in gubernando suo populo: nonne expedit? Contra vero *domi* suæ, id est, in sua ipsius persona *remissum* esse, sibique indulgere, & dum gerendæ sunt res publicæ, *similiter* esse *remissum*; nonne hæc est nimia plane remissio, & quæ cedat in damnum, non unius tantum, sed multorum? *Confucius*: Discipuli mei verba omnino vera sunt.„

§. 72.

Exemplo Çemcli quotidianum. Specialius vero exemplum est discipuli *Çem çu*, qui id a se examen *quotidie* institui sic memorat.

Libro III. P. I. fol. 3. „Ego *quotidie* de *tribus* maxime rebus examino me ipsum. *an* scil. pro homine quopiam negotium tractandum susceperim, & non tractaverim illud ea, qua par erat, cum fide & contentione animi, nec ita prorsus ac si mea res ageretur, & non aliena? *an* cum sodalibus & amicis meis familiariter

riter & amicorum more agens, haud tamen egerim eo candore eaque fide, qua oportebat agi, contentus inani quadam specie benevolentiæ observantiæque & mendacio verius amicitiæ, quam amicitia? Denique *an* doctrinam mihi traditam a Magistro meo non recoluerim, eamque exercitaverim impigre & constanter?,,

§. 73.

Eodem pertinent præcepta, *quod* attendendum sit animi motibus, etiam intimis; *quod* vitia emendanda sint, non pallianda excusationibus; *quod* errorum causas ipsis nobis, non aliis tribuere oporteat; *quod* firmum animo statutum inculcandum sit, nihil rationi contrarium admittendi; *quod* discernendi sint affectus, iisdemque invigilandum solicite; *quod* ad fugam vitiorum usus disciplinæ conducat. Ita *perfectionem cordis* recuperari putat philosophus victoria suiipsius: *media* ejus asserit attentionem sui, observantiam aliorum, & charitatem. Media miscellanea.

Verba Philosophi ex integro ejus discursu excerpta hæc dabo. L. III. P. VI. fol. 78. 79. „*Vincere seipsum* atque ita redire ad primævum illud temperamentum naturæ rationalis, hoc est, obtinuisse cordis innocentiam & perfectionem. Ut quis operam det recuperandæ isti perfectioni, hoc *dependet ab ipsomet* homine.

quomodo id dependeat ab aliis hominibus? *Series victoriarum* sui ipsius hæc est: Contra rationem, ne quid cernito: contra rationem ne quid audito: contra rationem ne quid effator: contra rationem ne quem animi corporisve motum suscipito.„ *Alteri* de eadem quæstione ita respondet: „ Sic egredere tua domo, tam præsens tibi tamque attentus ad omnia, atque si visum eas magnum quendam honoratumque hospitem. Sic impera Populo, sic ei indicito opera publica, ac si offerres magnum sacrificium rite peragendum, i. e. reverenter subditos tracta. Denique tibi ipsi, quod non vis fieri, vide ne conferas in alios„ Iterumque eodem loco ad eandem quæstionem a loquaci propositam: „Ut recte loquaris, recte prius agas necesse est: ad hoc autem necessaria est Cordis custodia, sed hæc rursus est difficultatis plenissima.„ Alibi vero quærenti, quomodo Vir sapiens queat evadere, & supra vulgus eminens? P. VII. fol. 110. respondet: „ Excolat sese, ut hoc pacto rectus evadat per assiduam *sui ipsius vigilantiam* & attentionem. Excolat sese ita, ut expleat *vota aliorum*, sicut optat expleri sua ipsius. Excolat sese, & partas virtutis industriæque opes tam *large diffundat*, ut procuret pacem, expleatque vota universi populi.„

§. 74.

§. 74.

Impedimenta virtutis illa philoſophus recenſet, quod *alteri* ſpirantes *altiora* transgrediantur limites, *alteri* timidiores & *abjecti* non attingant. Itaque non minus ad virtutem excitat diſcipulos, quam ab extraordinariis & ſplendidis mage quam ſolidis virtutibus dehortatur. Impedimenta ex utroque extremo.

Exhibui *locum* ſuperius ex L. II. fol. 43. quo nihil poteſt dici fortius, aut verius. Non opus eſt difficili ratiocinatione, ut intelligas, aut ſocordiam obſtare virtutis ſtudio, aut male conſideratum ardorem vitiare bonum cetera animum. Optem, ut hæc dicta conferant experientiæ, quicunque deviationibus hominum ita ſolent attendere, ut earum cauſas ſimul & fontes indagare ſoleant, examine rariori ſane, ſed perquam utili, & cautelas unicuique plurimas ſuppeditaturo. Quænam hæc miſeria eſt, quod ſive neceſſaria, ſive utilia ſubinde negligimus? Sed vero hæc alias dicere prolixius & explanare licet. Tu, ſi placet, repete Confucii locum modo allegatum §. 41. excerptum.

§. 75.

Vidimus vitiorum fontem & virtutis ſcopulos, charybdin hinc, inde ſcyllam. Admonitionem exemplo Confucii optimam arbitror, quam ipſe in ſequentibus allegati Loci, fol. 45. 46. adjungit. Correctio Erroris Confuciana.

„Sunt, qui temere transiliunt medii limites; dum sectantur virtutes nescio quas inusitatas & reconditas, ac gaudent patrare miranda quædam, ut posterioribus seculis sint, qui nomen eorum deprædicent. Sed ego certe non fecerim ejusmodi rem; quod *passim* nosse convenit & agere, id nosse & agere studeo. Perfectus Vir aggreditur *viam ordinariam*, & ideo in ea constanter progreditur: At sunt, qui vel inusitata & abstrusa, nec non majora viribus suis temere affectant, vel tametsi virtutis viam, eo quo par est modo sint ingressi, tamen in medio ipsius viæ cursum abrumpunt & turpiter deficiunt. At ego certe non possim, nec velim sic sistere; quæ cœpi, conabor perficere.„

Alia virtutis *impedimenta* attingemus in sequenti tertia speciali sectione, ubi *de affectibus* ex instituto. Persequamur cetera, quæ restant, de Virtute præcepta, etsi summatim omnia.

§ 76.

Amplitudo virtutis.

Amplitudinem virtuti maximam facit. *Universalem* enim omnium in omnes amorem postulat.

„Probus atque perfectus vir amplitudine quadam charitatis ac beneficentiæ, (ita Philosophus L. III. P. I. fol. 15.) qua *de omnibus* bene mereri desiderat, & *communem* generis hominum conciliatio-

tionem & consociationem colere ac tueri. *Universalis* est, & non particularis. Contra vero *improbus* ac vilis abjectique animi homo *particularis est*, privatis affectibus ducitur, amicitiam fœneratur, & beneficia sua meritaque privatis emolumentis & commodis ceu pretio quodam sordide divendit; adeoque non est universalis. „

§. 77.

Illud facile confiteor, exquisitius præceptum mihi extra sacras literas nullum unquam oculis usurpatum esse, ac illud, quo charitatem Confucius universalem & præcipit & explicat, & ab effectibus commendat. Dabo integrum, etsi prolixum sit: potest instar universæ morum disciplinæ haberi. De Charitate Universali præceptum Confucii exquisitum.

Ita autem ille L. III. P. III. f. 34. & 35.

„Sanctitas illa vel *Charitas*, pietasve, quam exigo, mi discipule, *est affectio animi constans & consentanea rationi, qua quis abjecta propria utilitatis commodive cura, totius orbis homines amplectitur, haud secus ac si unum quid idemque secum forent, atque adeo communem cum iisdem sensum tam inter prospera, quam adversa & habet & prodit.* Exempli caussa hujuscemodi pius ipsemet desiderans erigi ac florere, protinus consilio, & ope, & opera, etiam erigit quoscunque alios, quos vel nativa

tenuitas imbecillitasque depressos humi teneat, vel gravior fortunæ casus ex alto dejectos afflixerit, prostraveritque. Similiter ipsemet volens feliciter res penetrare, non sustinet videre alios, qui vel errant cæci, vel laboribus ac difficultatibus victi succumbant, sed ipse per se nihil non tentat, ac molitur, quo opituletur & his & illis, atque ita etiam penetrare facit alios, & perfringere objectas difficultates, & ex errorum ignorantiæque tenebris feliciter tandem eluctari. Hæc porro charitas pietasve, ubi mortalium animis semel insederit, tum vero *totus orbis* unius erit instar familiæ, quin & *hominis unius instar* homines erunt universi, & quicquid ubique rerum est, propter admirabilem illum summorum, mediorum, infimorum inter se mutuo nexum atque ordinem, unius & ejusdem substantiæ esse videbitur. *Alios* itaque *diligamus sicut nos* ipsi diligimus: Alios ex nobis metiamur: Labores aliorum & commoda ex nostris æstimemus. Denique ut paucis omnia complectar, nosse e propinquo, id est, a nobismet ipsis *desumere comparationem* ad alios, quibus adeo contingere velimus aut nolimus id omne, quod ipsi nobis contingere volumus aut nolumus: hæc demum potest dici virtutis *Gin*, seu memoratæ charitatis ac pietatis exercitandæ ars ac Regula.,,

§. 78.

§. 78.

Utcunque vero Universalem *Sinæ* amorem hoc loco exigant: non tamen eo facto officia confundunt, aut mutuo omnia coæquant: *Norunt* etiam illi *discrimina*, atque alios anteponunt aliis, parentes præcipue, & propinquos; in amore; in justitia, unicuique id, quod convenit, tribuente, atque ex amore proflua, discernunt magis minusve sapientes atque probos.

De subordinatione Amoris monitum Philosophi.

Libro II. fol. 60. 61. sic lego: ,, Amor ille universalis non est quid extrinsecum homini, sed ejus naturæ proprium quid & innatum, dictans omnes amandos esse: atque adeo *amare hominis est*; attamen *præ ceteris* amare *parentes*, est ejus præcipuum ac primarium munus, a quo deinde ad reliquos amandos gradum facit. Ex hoc item amore oritur *justitia* illa *distributiva*, quæ est ipsamet convenientia; * atque adeo justum esse, æquitatis est. Et quamvis ea in hoc sita sit, ut *unicuique*, quod suum est, tribui velit, tamen *præ reliquis* colere sapientes & probos, hos promovendo ad digni-

* Velim Lectores huic justitiæ genesi attendere, & evolvere notionem illam, qua justitiam hic dici vident, amorem secundum convenientiam, id est, sapienter administratum. Puto, utilia Judicibus Corollaria hinc scaturire: Utinam illa tam frequenter observari contingeret, ac illa facile intelliguntur consequi.

dignitates & munia publica est hujus quidem justitiæ præcipuum munus. Hoc in amandis parentibus & magis aut minus propinquis discrimen, & in colendis iis, qui magis aut minus sapientes ac probi sunt ordo, ab *officiorum harmonica* quadam *ratione* seu symmetria nascitur: secundum quam symmetriam, utpote commensuratam cum Cœli ratione, res omnes diriguntur.„

§. 79.

An liceat aliquos *odisse*?

Atque hæc quidem subordinatio est, qua explicari difficilis locutio possit, aliquoties obvia, qua

Libro III. P. II. fol. 14. dicitur: „ *Solus* ille, qui *probus* est, tuto potest diligere homines, tuto potest *odisse homines*. „

Præterquam enim, quod e Catalogo eorum, quos odisse liceat & conveniat, L. III. P. IX. fol. 132. exhibito, appareat, *vitia* potius, quam homines, *fugam* potius & aversationem hominum, quam odium proprie dictum, aut plane studium malefaciendi hisce locutionibus intelligi: Sunt loca quoque, ubi id *comparate* intelligi debere manifesto deprehenditur.

L. III. P. IX. fol. 127. ubi sex virtutum magis illustrium genera, & sex vitiantia ipsas virtutes recensentur, primum id locum obtinet: „ Qui gaudet amplissimo

ſimo charitatis ſinu complecti omnes, & de nullo non mereri bene, nec gaudet interim diſcere, quis eſſe debeat charitatis iſtius uſus & modus: hominis hujusmodi vitium, in quod videlicet ipſa virtus degenerabit, erit ruditas, cæcitasque, dum ſcil. cæco impetu benevolentia, ceu vento incitatus, ſine judicio & modo beneficia delaturus ſit. „

Idemque alibi, cum de *promiſcua* in bonos atque malos beneficentia agitur, inculcat, *projectionem* id *beneficentiæ* ratus, qua proborum hominum meritis & exemplorum efficaciæ detrahatur.

L. III. P. VII. fol. 105. & 106. hanc narrationem invenio: „ Forte quispiam dixit: *Beneficiis* compenſare *odia* & injurias, de hoc quid videtur Tibi? *Confucius* reſpondit: Qui ſic agat, ecqua re tandem compenſabit benefacta. *Diſpar* enim eſſe debet *merces* ac ratio ejus, qui bene meretur, & illius, qui male. Mea igitur hæc eſt ſententia: *Eo, quod rectum juſtumque eſt, compenſato injurias & odia: Benefactis compenſato Benefacta.* „ Quæ verba ſic exponit *interpres Sinicus*: „ Injuriam quis intuliſſe mihi viſus eſt, non illam ego recordabor, nec conſiderabo, *ut mihi* eſt illata, ſed æqua rationis trutina expendam ſingula ejus momenta, ut queam ſtatuere, *quid* hic *odio*, quid *amore*, quid *fuga*,

fuga, quid *prosecutione* dignum sit? Expensis omnibus, si comperiam, eum qui me læsit, aliis tamen ex capitibus & simpliciter esse amore dignum: Ego certe ob privatam offensionem nullas invidus offundam tenebras ipsius laudi ac virtuti. At si multa sint, quæ odiosum reddant, ac merito exterminandum; parebo tunc rationi, quæ improbitatem aliaque *vitia odio prosequi* & exterminare nos docet. Atque *hoc est*, eo quod rectum justumque est, odia rependere.,,

§. 80.

De Amore inimicorum. Accedo hic sententiæ *RR. PP. Jesuitarum*, Editorum libri, qui dignam *philosopho* ethnico sententiam, & *pharisaico* pronunciato multoties mitiorem & humaniorem prædicant, ad Lucem tamen Evangelicam haud assurgentem, etsi alio loco, in *officiorum* Libris parum abesse videatur Philosophus, quando illius hæc sententia refertur:

„ Beneficiis compensare odia, hoc enimvero est perampli pectoris virtus & pietas. „

Sunt profecto Veterum Græcorum sententiæ idem cum philosophia Christiana præceptum urgere visæ, sed ubi caussam suasionis attendere contigerit; longissime infra hujus perfectionem subsistere deprehenduntur. Tale est Philosophi Spartani, *Aristonis*, effatum, à *Plutar-*

tarcho in Apophthegmatis relatum, quod ita lego apud *Ablancourtium*: „ Comme „non loüoit le mot de Cléomenés, qu' „il faut faire du bien a ſes amis, & du „mal à ſes ennemis : Nullement, dit „Ariſton, il faut faire du bien à tous, „pour conſerver les uns, & pour acque- „rir les autres. C'eſt auſſi un mot de *So-* „*crate*.„ Tale eſt *Veſpaſiani* apud eundem *Ablancourtium* dans les Apophtegmes des Anciens : „ Ayant fait du bien a ſon ennemi, il dit, il s'en ſouviendra.„ Recte illud & philoſophice ſatis: *Chriſtianorum* tamen *ſublimior* agendi ratio eſt & motivum, uti docebimus in Epilogo; ubi ſimul illum philoſophis hodiernis metum eximere dabitur, quo veriti ſunt præcepta ſua extendere ad amorem uſque inimicorum; quaſi ſcil. id Religioni præjudicaret Chriſtianæ, ſi etiam hoc ipſius præceptum approbetur, & confirmetur & demonſtretur (utinam etiam expleatur!) a philoſophis. Certum eſt, *argumenta* illi probando ſufficientia ſuppeditari a ratione Naturali; *Exemplum* atque ex illo *motivum*, qualia CHRISTUS reliquit, non ſuppeditari: Ut & nihil de viribus dicam, præſtando officio neceſſariis & ſufficientibus. Non id igitur Religioni mihi erit, tribuere eam *Confucio* cognitionem, ſi habuit; erit vero, eidem aſſerere illam, ſi non habuit,

§. 81.

§. 81.

Transitus ad specialia.

Generalia quidem *satis* prolixe excussimus pro specimine: pro rei merito *nimis* concise. Non possum vero, quin & *specialium* virtutum *aliquot* exempla prioribus adjungam; sed neque omnium virtutis specierum, neque omnia speciei unius.

§. 82.

Fortitudo in domandis affectibus.

De Fortitudine primo loco. Duplicem illam deprehendo, *togatam* unam, alteram *sagatam*: & priorem quidem sive *publicam*, sive *privatam*. Postremam *Confucius* refert ad domandos affectus, ad obfirmatum in persequenda virtute animum, ad ferendas sine ultione injurias.

L. III. P. III. fol. 21. Confucius: „ Ego „nondum vidi Virum fortem. „ Ad„stantium aliquis: „*Xin çem* nonne est „fortis? „*Confucius* respondet: „ Çem „discipulus meum obsequitur appetitio„nibus pravis & oblectamentis sensuum: „quomodo censeri potest vir fortis?

§. 83.

Fortitudo Triplex, Australium, Borealium, & Discipulorum Sapientiæ.

Togatam vero, & publicam præcipue, privata nixam *antefert* Philosophus sagatæ. Describitur L. II. fol. 45. *discursus Confucii* ad discipulum, quo nihil potest exactius dici, & in rem præsentem accommodatius. Illum integrum exhibeo, etsi prolixum, ut non præcepta solum,

lum, ſed ipſe etiam enunciandi modus ſeſe Lectoribus commendent.

„Diſcipulus *Çù lú*, ut erat indolis bellicoſæ, & appetens gloriæ militaris, quæſivit de fortitudine. Sciſcitatur ex eo Confucius, & ait: an quæritur hic de hominum illorum, qui in Auſtrali Regione degunt, fortitudine? an de illorum, qui Borealem Regionem incolunt, fortitudine? an vero de veſtra, qui ſapientiam colitis, fortitudine? *Largius leniusque* ſe gerere, & cum indulgentia quadam in ſuorum inſtitutione, non caſtigando ſemper, nec juſto ſeverius, eorum deſidiam vel tarditatem, nec ultionem aut pœnas exigere a refractariis, ſed eos patienter ferre: Ea demum eſt *Auſtralium* regionum fortitudo, * qua hominum animos paulatim ſtudent rationi ſubjicere. Et hoc Viri perfecti præſtare poſſunt. Impavidum & ſecurum cubare lanceas ſuper loricasque; medias inter mortes verſari, & tamen non pertimeſcere, nec affici tædio vitæ ejusmodi, *Borealium* quidem Regionum fortitudo eſt: & hæc fortes & robuſti præſtare poſſunt. Quoniam tamen multum hic temeritatis adeſſe ſolet, me-

 dii-

* Equidem nos Europæi lenitatem diceremus: ſed vero fortem eo animum requiri & difficultatis patientem, neque in periculis timidum agnovi, ex quo hanc Confucii ſententiam meditatus fui.)

diique regula crebro admodum violari; non ea est fortitudo, quam a vobis expecto, discipuli mei. Itaque Vir perfectus *sui Unius victoria* semper intentus, ad mores & ingenia aliorum se fingit quidem & accommodat ; attamen, ut est sui Dominus, non patitur sese velut diffluere, neque depravari inertium molliumque consuetudine & exemplis, nec in omnibus sine discrimine obsequitur & hæc fortitudo proh! quanta est! Rursus in medio aliorum a recto aberrantium ipse unus rectus stat, & neutram in partem inclinat : hæc fortitudo quanta est? Item, si in Regno vigeant virtus & Leges, & ipse Magistratum gerat, hos tamen honores inter non mutat mores, nec eam vitæ normam, quam privatus servabat, adeoque nec inaniter intumescit : hæc fortitudo proh! quanta est! Contra vero si in Regno jaceant virtus & Leges, si magna sit rerum perturbatio ; ipse tamen, quamvis prematur inopia, & aliis atque aliis ærumnis affligatur, etiam redactus ad ipsam usque mortem, inter hæc non mutatur, suscepti semel propositi semper tenax, hæc quoque fortitudo proh! quanta est, & quam eximia! Nimirum sita est illa in assidua sui ipsius victoria. *A vobis* ergo, discipuli mei præ illa Australium & Borealium Gentium fortitudine,

& expeto & expecto fortitudinem ejusmodi.„

§. 84.

Præceptum id auro contra carum est omnibus, seriam in virtute de acquirenda operam navantibus: Et commentarii loco esse potest, ampli satis & perspicui, in vulgatum illud & neglectum axioma: „fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit mœnia.„ Neque *bellicam* tamen *fortitudinem* contemnit Philosophus, sed æquitati & justitiæ postponit. **Fortitudinis Bellicæ pretium.**

L. III. P. IX. fol. 131. eidem *Çu lu* quærenti: „Vir gravis & eminens supra vulgus hominum nonne plerumque *primas* defert *fortitudini*? Confucius respondet: Eminens Vir ejusmodi non fortitudini, sed *æquitati justitiaque* primas defert. Certe Vir gravis & præstans, siquidem sit instructus Robore illo animi corporisque, & interim non instructus sit temperamento rationis & æquitatis; facile caussam præbebit gravissimis Imperii perturbationibus: Uti & plebeji homines habentes simile Robur, & carentes moderatrice illa sui roboris æquitate, nullo negotio Rapinas & latrocinia exercebunt.

§. 85.

Vult autem *a temeritate liberam*, quam raro **Cautela adversus temeritatem.**

raro usui, damno sæpissime, nunquam honori fuisse pronunciat.

L.III. P.IV. fol. 38. Eidem *Çu lu* sciscitanti: „Si Magister ducturus esset tres exercitus: tum quemnam sibi adjungeret in Collegam? *Confucius* ut vanos martiosque discipuli spiritus reprimeret, sic ait: Inermis ac nudis manibus qui aggrediatur indomitam tigrem; & sine rate vel scapha committat sese spatioso rapidoque flumini; mille item inter mortes verfetur; & tamen non aliquo teneatur metu: *Hunc* ego sane *nolim* mecum copias ducere. Raro namque temeritas usui fuit, damno quam sæpissime, honori nunquam. *Necesse est* quidem, non perturbari in rebus asperis; sed quando se offert discrimen anceps & improvisum, tum vel maxime præsentis animi uti consilio, & considerate vigilanterque se gerere. quanquam multo etiam *malim* talem & conari, & vero gaudere percipere animo futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem ?„

§. 86.

Prudentia. Ducunt nos ultima ad *Prudentiam*, quam in cauta rerum dijudicatione & perspicacia, in præmeditatione futurorum casuum, in sollicita atque aliquando tecta consiliorum ad Reip. usum applicatione collocat Philosophus. *Necessitatem* hoc verbo indicat: L.III.

L. III. P. VIII. fol. 113. proverbium est: „Præmeditatio nisi sit ultra mille stadia, tum calamitas est sub ipsa mensa & strato.„ Eadem P. VIII. fol. 114. „qui non dicit, hoc quomodo? illud quomodo? Ego nescio ejusmodi homine quid faciam; actum est.

Naturam atque *modum* ejus hoc edisserit effato.

L. III. P. III. fol. 24. „*Iterum* seu *bis* expendere mature omnia, hoc enimvero convenit: *Nec* opus est deinde *cunctari* diutius ac deliberare; ne dum justo prudentiores sumus, contra ipsam prudentiam vel maxime peccemus.„

Differentiam Prudentiæ, pro diverso *Reip.* statu accommodatæ, in Illustri specimine attingit; quod totum huc transfero;

L. III. P. III. fol. 24. Confucius ait; „*Ním vù çù* præfectus Regni Guéi, quando in Regno viget probitas, prudens audit apud omnes. Si quando Regnum est sine lege ac probitate sic ut perturbari incipiat ac periclitari; ipse tempestati subducens sese, sic latitat, ut a vulgi oculis remotus, prudentia sua & consilio fulcire labantem Remp. non cesset. Ceterum quia hæc privatus & clam præstat; ipse tum rudis audit, meticulosus & ad res gerendas imperitus. At *ego* sane *sic judico*, quod ad ejus *pruden-*

 tiam,

tiam, qua *pacis* tempore in Regno eminet, facile possit quis pertingere, illumque imitari: At vero ad *prudentissimam* ejus *ruditatem* illam, dum perturbata sunt omnia, incolumitati propriæ publicæque consulentem, non potest nisi difficillime, & a paucissimis pertingi.,,

§. 87.

Comites Prudentiæ. *Necessarias* autem Prudentiæ has *Comites* Philosophus arbitratur: virtutem primo interiorem; gravitatem deinde & auctoritatem; denique moderationem atque temperamentum actionum omnium.

L. III. P. VIII. fol. 115. ,,Confucius ait: Prudentia assecutus quidpiam, nisi *virtute interiori* valeas idem conservare, licet forte adeptus sis, procul dubio amittes. Prudentia quidpiam assecutus, & virtute interiore valens conservare; nisi quoque adhibeas morum gravitatem & *auctoritatem* ad recte gubernandum: tum subditi non te verebuntur. Prudentia quidpiam assecutus, & virtute interiore valens conservare, exteriorem item morum gravitatem & auctoritatem adhibens ad recte gubernandum; nisi moveris subditos *convenienti* ac *debito modo*: nondum perfecta res est.,,

§. 88.

Virtutes sex Cardinales & ea- Ultimam aliquoties partem commendat, eidemque tantum tribuit, ut virtutes

tutes sine illa omnes vitiari arbitretur.

tum temperamenta.

Locus est L. III. P. IX. fol 127. cujus initium jam ante allegavimus §. 79. Ibi ita Philosophus: „Discipule mei Yeu! Num tu audivisti aliquando *sex virtutum* magis illustrium nomina? *Sex* item *vitiantia*, seu obscurantia ipsas virtutes? Discipulus assurgens respondit: nondum audivi. Tu ergo hic paulisper consiste, inquit *Confucius*, quoad ego exponam Tibi. Qui gaudet amplissimo *charitatis sinu* complecti *omnes*, & de nullo non mereri bene, nec gaudet interim discere, quis esse debeat charitatis istius usus, & modus: hominis hujuscemodi vitium, in quod scil. ipsa virtus degenerabit, erit Ruditas cæcitasque, dum scil. cæco impetu benevolentiæ, ceu vento incitatus, sine judicio vel modo beneficia delaturus sit. Qui gaudet prudentia seu *veri perspicientia*; nec gaudet interim discere & indagare, & consulere: hominis hujuscemodi vitium erit perpetua quædam ambiguitas & incertitudo fluctuantis animi. Qui gaudet *fide*, seu dictorum conventorumque constantia & veritate; nec gaudet interim discere, tempus & modum scilicet: hominis hujuscemodi vitium erit crebra & gravis offensio, cum damno vel suo vel aliorum. Qui gaudet rectitudine &

Amor universalis:

Providentia:

Veracitas:

Candor. *candore*, dolos autem & ambages & quicquid fictum est ac simulatum odit; nec gaudet interim discere, quis hic quoque modus servari debeat; hominis hujuscemodi vitium erunt angustiæ coarctati animi, & tricæ perquam difficiles, in quas cum nimis candidum, & dissimulare nescium, tum simplicitas sua, tum fraus aliena conjiciet. Qui gaudet *generose ac fortiter* quidlibet agere & pati; nec gaudet interim discere, quis virtutis hujus sit usus ac modus; hominis hujuscemodi vitium erit, Reipublicæ perturbatio & rebellio. Qui gaudet adamantino quodam robore animi atque *constantia*; nec gaudet interim discere, ubi, quando, quomodo, quanta cum moderatione sit adhibenda; hominis hujuscemodi vitium erit stultitia & amentia.,,

Fortitudo.

Constantia.

§. 89.

Emendatio Vitiorum. De Virtutibus & earundem Cultura diximus hucusque: de *vitiorum emendatione* tribus quasi verbis attingam philosophi sententias.

L. III. P. VIII. fol. 115. inquit Confucius; „*Peccare, nec emendare, hoc ipsum dicitur peccare.*„ L. III. P. VI. fol. 72. cum audiret, dolere discipulum, quod Musicam ejus arma resonantem improbaverit, eousque ut toto die edulium non admiserit, hoc illum verbo commen-


mendat; „qui peccavit, ſed quod peccatum eſt, vult protinus emendare; is progreſſum fecit haud pœnitendum„, Idem præceptum L. III. P. V. fol. 59. occurrit: „Peccaſti? ergo ne dubites aut verearis * emendare, quod peccatum eſt.„ Inſigne illud elogium eſt, quo diſcipulum *Yên Hoêi* Confucius ornat, inter cetera teſtatus: „*Neque is etiam bis unquam peccabat*.„ Simile illi eſt aliud L. III. P. VII. fol. 104. Præfecti in Regno *Guei*, nomine *Ki Pe Yo*, Cujus legatum Confucius de Domino ſuo ſciſcitatus eſt. Cum reſpondiſſet *Legatus*: „Dominus meus deſiderat inprimis emendare & imminuere peccata ſua, ſed necdum poteſt compos votorum fieri;„ Eo deinde egreſſo *Confucius* exclamans ait: „O egregium Miniſtrum! o egregium Miniſtrum! qui videlicet tam paucis verbis tam uberes amplasque laudes heri ſui complexus eſt!„

* Erunt fortaſſis, quibus hoc præceptum magis ſuperfluum & tantum non ridiculum videbitur, quam utile & ſapiens; ſi quis enim agnoverit ſe peccaſſe, hoc ipſo illum peccati potius, quam emendationis pudore ſuffuſum iri exiſtimant. Ignoverint mihi, quibus ita videbitur: ſecus ſentio. Accidit, ut id *emendare pudeat* homines, in quo illi ſe peccare aut peccaſſe non diffitentur. Si *meo* hîc *nomine* philoſopharer, facile illius rei ordinem, cauſſas & remedia Lectoribus liceret oſtendere: Sed *Sina* hîc ſumus, & Sinicam proſequimur doctrinàm.

§. 90.

Excusatio omissorum.

Finiam vero aliquando & hanc sectionem, exemplo, si quid judico, praelustri coronatam. Similia de *ceteris* virtutibus infinita invitus praetereo: sed *promulsidem* exhibeo, non convivium.



SECTIO TERTIA SPECIALIS.

DE

REGIMINE AFFECTUUM.

§. 91.

Ratio Ordinis.

QUi voluntatem inflammato Virtutis amore imbutam, & vitiorum odio implacabili obsessam possidet; ille cavendis animi perturbationibus, affectibusque in bonos fines dirigendis par esse creditur a Philosopho. *Ordinis caussam* breviter & nervose reddit *Confucius*; eadem sententia & *necessitatem* virtutis praeviae, & *efficaciam* ejus in reprimendis animi perturbationibus indicans.

L. III. P. IV. fol. 45. „ Vir probus nunquam non aequanimis, tranquillus, ac pla-

placidus est. Improbus vero nunquam non turbato & amaro est animo.„

§. 92.

Descriptionem perturbationum animi ideo negligendam non esse arbitror, quod exquisite consentiat *recentissimis* inter Germanos Philosophiæ Practicæ institutionibus a Celeberrimo Viro Philosopho & Mathematico editis ante quadriennium. *Generale* Viri *principium* est: Connitendum esse ad perficiendum suum & aliorum hominum statum: Perfectiones in Metaphysicis meditationibus explicat per consensum plurium (sive personarum, sive rerum, sive partium, sive attributorum, sive graduum &c.) ad idem aliquod principium, finem, institutum.&c. Inde generalem omnium inter homines actionum consensum postulat, & siquæ earum alteris repugnent, in vitio dissensum collocat. De Harmonia generali *sententiam Confucii* aliquoties expressam supra quoque exhibuimus §. 77. neque difficile foret, *plura* in eam rem *testimonia* allegare. **Perturbationes Animi repugnant Principio Actionum Generali.**

§. 93.

Unum huc pertinet, de perturbationibus animi, quas *in eo* Confucius collocat, *si quis* velit aliis ea, quæ non sunt arbitrii sui & potestatis (ita non consentiunt, vires & voluntas) *aut*, quæ sunt inter sese pugnantia. (Sic altera alteri voli- **Inferunt dissensum.**

litio dissentit:) *Postremum* latius patet, quam communiter advertitur; non licet autem *meo* more philosophari, ubi interpretem aut *compilatorem* ago tantum.

L. III. P. VI. fol. 81. sic lego: „ Tam vero, ut ostendat *animi perturbationem nihil* fere esse aliud, *quam* velle aliis ea, quæ non sunt arbitrii sui vel potestatis, vel quæ sunt inter se pugnantia, sic ait: Amando quempiam, optare eum vivere; odio habendo quempiam, optare eum mori; imo etiam optato modo ipsius vita, mox rursus optare eundem mori, cum jus vitæ necisque sit penes Cœlum: (idemque est de motibus aliis varii & inconstantis animi) hoc ipsum est obnubilato, perturbatoque esse animo. „

§. 94.

Affectiones privatæ. Eodem sensu *privatas* sæpenumero *affectiones* redarguit, quatenus adversas publicis.

Dedimus Imperatoris Yao sententiam §. 61. Discipulum Confucii *Çu Yeu* illi conspirantem L. III. P. III. fol. 31 inveni: Laudaturus enim sui, cui præerat, oppidi Virum *Mie min* dictum, „ Est hic vir, inquit, homo perquam serius & rectus, qui per Regiam virtutis viam incedens, nunquam declinat *ad obliquas privatarum* affectionum semitas; *Itaque*

que nisi detur publicum negotium, non admodum frequens venit etiam ad meas, amici tamen sui, ædes. „

§. 95.

Præcipue huc illa cura pertinet, qua Philosophus *consensum affectuum* primo, tum *& actionum, cum statu* uniuscujusque conspirantem postulat; Neque enim opinor, virtuti aut *Republicæ* periculosior *pestis* esse potest illis animorum perturbationibus, quibus unusquisque alia sive optat, sive quærit, quam quibus ipse aut agendis aut ferendis aptus natus est. Qui unam hanc animi harmoniam persuadere aut infundere posset, magnam ille rem, & inter omnes utilissimam præstitisse censendus esset.

Perfectus Vir accommodat Appetitus & Actiones statui suo.

Eleganter L. II. fol. 48. 49. „ Perfectus Vir pro *ratione sui status*, quem hic & nunc obtinet, res *agit*; nec *cupit* quidpiam ab hoc suo statu alienum. Si *dives* est, & honoratus, *agit* ut dives, & honoratus; *sic* tamen, ut illicitis voluptatibus & luxui se non dedat, nec arrogantia sua fastuque offendat quenquam. Si *pauper* est & ignobilis, *agit* ut pauper & ignobilis: *sic* tamen, ut nihil Viro gravi & probo indignum committat. Si extra patriam suam sit *alienigena*, agit ut alienigena, seu ita se gerit, ut poscit status degentis inter extraneos, sui semper similis. Si versetur *in ærumnis* ac la-

laboribus, agit pro ratione ſtatus ærumnoſi, tenax ſemper magni propoſiti. Denique perfecto Viro nullus eſt *vitæ ſtatus*, quem ingrediatur, ubi non ſit *ſui Dominus*, & ſua ſorte contentus; adeoque ſibi ſuccedat ex ſententia. Idem ſi conſtitutus *in ſuperiori* loco eſt & *dignitate*, non inclementer tractat inferioris ordinis homines, metum iis incutiendo; ſi autem conſtitutus eſt *in inferiori loco* & dignitate, non adulatur ſuperioribus, favores eorum captans. *In hoc totus eſt*, ut perficiat ſeipſum, & non requirit quidquam ab aliis: adeoque nunquam indignatur cuiquam. *Superne*, non conqueritur de Cœlo, quod proſpera non conferat, aut eum affligat adverſis. *Inferne*, non criminatur, nec culpat homines; quibus adverſitatum aut defectuum ſuorum cauſſam non tribuit. Nimirum ſua ſemper ſorte contentus nihil expetit a ſtatu, quem obtinet, alienum. Ideo perfectus Vir commoratur *in plana* quadam & quieta *Regione*, & æquo animo expectat *unicam Cæli* circa ſe *ordinationem:* Improbus e contrario præceps ambulat vias periculoſas, & per fas ac nefas quærit plane gratuitam ſibique *non debitam ſortem* & felicitatem; quam ſi obtineat, mere equidem fortuito obtinuiſſe cenſendus eſt. „

§. 96.

§. 96.

Prolixum sane, sed exquisitum hoc præceptum est, quo tot officiorum genera ex una animi cum statu nostro, & actionum cum magno virtutis proposito, concordia deducuntur; Unum etiam eo sufficiens, ut Reip. turbas omnes; ut familiarum mutuo æmulantium, & opes eo facto suas insumentium, & dissidia publico exitialia eo pabulo nutrientium, ruinas; ut singulorum in audiendis factis supra vires positis, in ambiendis, quibus non sufficiant, negotiis, in exhauriendis cum publicæ rei detrimento facultatibus, temeritatem coërceat. Utinam ita frequens factum foret, quam utile est consilium! **Momentum ejus præcepti.**

§. 97.

Classes perturbationum communiores *quatuor Sinæ* numerant, easdemque omnes refrænandas esse docent, sic tamen, ut ambigant, *an illis* ita *remotis*, ut in actionum motiva non influant, *prima* illa, quæ homini indita fuerit, *innocentia* eo facto restauretur? Primum nominant nimium *gloriæ* appetitum, tam *sui* complacentiam, *iracundiam* deinde, & *avaritiam*. **Perturbationum quatuor classes.**

L. III. P. VII. fol. 97. Discipulus *Yuenhien* instituit quæstionem ejusmodi: „ Si quis immunis esset a *vitiis quatuor* maxime vulgaribus; atque adeo si quis per-

nimium appetitum gloriæ præcellentiæque; item per sui complacentiam jactantiamque; per iracundiam denique; cupiditatem habendi *nihil omnino* faceret: posset is, opinor, censeri præditus prima illa, quæ homini indita fuit, virtute & innocentia. *Confucius* respondet: non agere quidpiam cum iis, quas enumerasti perturbationibus animi, potest id quidem censeri *perquam rarum* & difficile: Veruntamen *de primævo* illo rationis Imperio innocentiaque an præditus sit, nec ne, equidem *ego non scio.* „

§. 98.

Earum distributio secundum ætates.

Ætatibus Nostri Philosophi affectus adjudicant, eo consilio, ut intelligatur, quid præcipue cavendum sit diverso tempore. *Idem Confucius* institutum tenet: Et eodem modo illos partitur; *adolescentibus* voluptatem; *Viris* rixas; *senibus* avaritiam dissuadet. Caussas propensionum *a sanguine* & *spiritibus* non ineleganter deducit. Ut enim animus corpori dominator datus sit; certum est, eum sequi typum quasi illum, quem corporis constitutio exprimit. *Quacunque* id caussa vel ordine fiat (aliena enim hoc loco disquisitio est) fieri illud tamen, *experientia* cognoscimus. *Confuciana* igitur philosophia *Stahlianæ* Temperamentorum theoriæ non male consonans hæc est:

L. III.

L. III. P. VIII. fol. 119. „ Sectator Virtutis habet *Tria* sibi cavenda. *Adolecentia* tempore, sanguine & spiritibus necdum consistentibus, quod cavendum, est res Venerea. Provectus ad suam *maturam ætatem*, sanguine spiritibusque jam corroboratis, quod caveat, sunt rixæ. Provectus ad suam *senectutem* sanguine spiritibusque jam languentibus, quod caveat, est cupiditas habendi. „

§. 99.

Etsi vero caveri & *extirpari perturbationes* Sinæ postulent: *Affectus* tamen *exui non* volunt, injecto illos frœno regi atque ad utilia transferri suadent. Ut id obtineant felicius, non solum *objecta* ostendunt, quibus applicari affectus expedit, & *modum* quoque determinant, sed & ipsi *affectibus* ad studium virtutis commendandum atque persuadendum apposite *utuntur*. Cum enim loco superius exhibito §. 64. ipsas in sese passiones indifferentes esse, &, si rectæ rationis dictamen omnes assequantur, bonas fieri, diserte pronuncient; unicum id superest, ut intelligant sapientiæ studiosi, *quibus* rebus? *quinam?* & *quanti* possint legitime adhiberi affectus? Inde est, quod sollicite admoneant, de quibus rebus *gaudendum* sit? de quibus *angi* conveniat? quas *timere* oporteat? & similia.

Affectus non eradicandi, sed regendi sunt.

L. III. P. IX. fol. 119. Confucius ait : „ Utilia sunt *tria gaudia :* Perniciosa tria gaudia. Gaudere debito usu officiorum musicæque ; gaudere proloqui aliorum recte dicta & facta ; gaudere multorum sapientum amicitia : *utilia* sunt. Gaudere superbiæ vanitate ; gaudere otio vitæque licentia ; gaudere epularibus jocis ac voluptatibus ; *perniciosa* sunt gaudia. „ Iterumque eodem loco : „ *Sapiens* ac probus habet *tres timores.* Timet Cœli mandatum ; timet magnos viros ; timet Sanctorum verba. *Improbus* ac stultus non agnoscit Cœli mandatum, adeoque nec veretur. Aspernatur magnos viros. Explodit sanctorum verba. „ L. III. P. II. fol. 16. „ *Noli mærere* propterea, quod careas publica dignitate. *De hoc* angaris, quod iis careas virtutibus, propter quas eveharis. Noli mœrere, quod nemo sit, a quo ipse cognoscaris : *De hoc uno* scil. nobis *elaborandum* est, tales ut simus, qui mereamur cognosci. „ L. III. P. VIII. fol. 14. „ *Philosophum affligit* impotentia sua : non affligit, ab hominibus nesciri. Philosophum affligit, transigi vitam suam, & nomen suum nondum celebrari, aut nihil dignum fama peregisse. „ L. III. P. IV. fol. 36. „ Virtutem non coluisse studiosius, de optimis scientiis ac disciplinis non disseruisse crebrius ; audivisse,

quæ

quæ recta & consentanea sunt rationi, nec tamen ad ea valuisse me transferre; denique vitia non valuisse pro voto emendare : *Hac quatuor* sunt meus dolor, & justa *moeroris caussa.*„

§. 100.

Elegans præcipue illa *suasio* est, & nostris moribus inconsueta, *qua tristitiam* discipulo nimiam *Confucius dissuadet.* Angebatur ille fratrum caussâ rebellium & transfugarum, quos proxime perituros esse præsagiebat. *Confucius* ex occasione, alia quærenti, modum & temperamentum inculcat in mœrore servandum Sed vero *Condiscipulus* ex instituto solatium illi casui applicat. *Primo* ostendit, mortem atque vitam a Cœli arbitrio pendere; philosophum illi acquiescere. Hoc solidum est, sed consuetum in eo negotio argumentum: *Alterum* est rarius, & fortasse Sinis tantum non particulare; quo illi modum ostendit, habendi omnes homines pro fratribus. L. III. P. VI. fol. 79. exhibentur utriusque sermones. His verbis: Modus solandi mœrentem a Discipulo adhibitus.

„ *Su ma Nieu* cum angeretur *fratrum* causa, quos proxime jam perituros esse præsagiebat, miserum me! inquit; hominum plerique habent fratres natu majores, & minores natu, & ego unus, uti male suspicor, jam nunc illos non habeo. *Cu hia* condiscipulus mœren- Su ma Nieu.

tem solaturus ait: Ego audivi quandoque Magistrum meum, cum diceret: *Mors & vita habent inviolabilem quandam a Cœlo Legem.* Opes item & honores in arbitrio sunt & potestate Cœli, atque adeo neque hæc neque illa arbitrii sunt nostri. Quocirca *verus philosophus unius Cœli arbitrio acquiescens unam rem agit*, nimirum attendit sibi perficiendo, & nihil amittit negligitve, quod in hunc finem usui esse possit. Cum aliis vero cujuscunque sint ætatis & ordinis hominibus, observantiam benevolentiamque exercet: Veruntamen sic, ut suis temperata sint ritibus officiisque omnia. Porro qui de se, deque aliis sic mereatur, ei, *quotquot existunt homines* quatuor maria intra, (id est, in orbe universo, Sinica quidem locutione:) *omnes sunt* majores natu *fratres* vel minores, ex uno quasi sinu ejusdem matris effusi. Philosophus ergo, quorsum angatur, quod nullos habeat fratres? „

§. 101.

Et a Magistro. Dedimus verba discipuli, *Magistri dictum* ut *generale* adversus immodicum metum, & tristitiam inordinatam omnem, *remedium* commendare licet.

Eodem loco, discipulus hic *Su ma Nieu* percontatus de Viro probo, hoc responsum fert a Confucio. „Vir probus nec tristatur, nec timet, quemadmodum Tu

facis

facis, qui propter fratres rebelles & transfugas te conficis immodico metu ac mœrore.,, Excipit discipulus: ,, Nunc igitur, qui nec tristatur nec timet, *hoc ipso* dicetur vir probus.,, Equidem id Magister non dixerat; neque reciprocam propositionem esse, indicaverat? de eo tamen nihil ipse monet, sed in præcepto pergit, & asserti sui, quod Vir probus neque tristetur, nec metuat immodice, caussam allegat verbis ad §. 57. exhibitis, quæ cum brevia sint, & præstantia, eodem libro bis scribi, & sæpe legi merentur. Accipe illa, & perpende: ,, Interiora animi discutiens severo examine, nec inveniens tamen quidpiam vel erroris vel culpæ, cujus eum pœniteat, pudeatve, sic prorsus, ut *nihil* egerit *rerum*, quod *non vulgari* possit *inter homines*, nullam volverit animo *cogitationem*, cujus nolit *conscium* esse *Cœlum*, ejusmodi Vir, inquam, quorsum obsecro tristetur? quorsum timeat? ,,

§. 102.

Illud autem in hac tertia sectione præcipuum arbitror, quod *affectus* ipsos *adhibere* soleant Sinensium sapientes *ad virtutum studia* hominibus commendanda. Illustre specimen est in *Musica Sinensi*: Cujus adeo typum enarrare non abs re fuerit. *Institutum* Musicæ *Morale* fuit, & virtuti, non voluptati destinatum. Ex- Usus Affectuum ad Virtutem exemplo Musicæ.

 ternus

ternus vocum concentus Umbram referebat doctrinæ, atque illius in animo harmoniæ, quam Carmina cantu comprehensa præcipiebant. Si quid *ex nostris* institutis simile est Sinarum Musicæ, *cantiones* nostras eo loco habebimus, *sacras* illas, eodemque effectu, si dextre adhibeantur, commendabiles. Inde est, quod ipsum etiam concentum laudat.

L. III. P. IV. fol. 48. „ *Tacentes* ac repentes humi *erigimur* quodammodo per *Odarum* librum. Erecti *consistimus*, in omni vita decorum constantiamque servantes, per *Officiorum* Libros (Ritus illi & Ceremonias complectuntur:) „ Ad extremum *perficimur* per Musicam, illam scilicet, quæ *ipsas voluntates* nostras doctrina sua harmonica demulcet.„

§. 103.

Moralis scil.

Sed *carminis* tamen *contenta* suavitati sonorum anteponit; nempe vehiculum esse voluit concentum, non objectum principale.

L. III. P. II. fol. 12. „ *Musica* plurimum delectabatur philosophus, non quidem adeo propter suavitatem, quæ mulcebat aures, quam *propter utilitates*, quas summi pariter infimique ex illa percipiebant, quotiescunque *priscorum more* instituebatur; sic prorsus, ut quandoque Regni totius innovatio quædam morumque singularis emendatio sequeretur.„

tur. „ L. III. P. VIII. fol. 127. *Odarum* præsidio possumus *sociales* evadere, & affabiles & jucundi. Ut enim *Musica* sonos apte temperat: sic & *Poësis* ista motus & appetitus nostros.„

hocque *aliam ab alia Musicam* solicite *distinguit.*

L. III. P. VIII. fol. 113. „ Musica ea sit, quæ *Xao* dicitur cum choris tripudiantium. Missas facito Regni *Chim* cantiones: procul amanda loquaces: Regni *Chim* cantiones turpes, loquaces, periculosæ.„ & P. IX. fol. 129. „ Odi Musicam Regni *Chim*; perturbat enim & deliciis enervat priscorum eam, quæ *Ta* dicitur, musicam, verecundiæ, modestiæ, gravitatis Magistram.„

Distinguit etiam *alios ab aliis Auditores.*

Ita enim L. III. P. II. fol. 2. monet; „ Homini non probo, qui, inquam, vera solidaque virtute non sit instructus, cui tandem sint usui ritus, ceremoniæ, officiaque exteriora? Rursus, homini non probo, cui tandem sit usui harmonia concentusque Musicus? Etenim cum ab ipso animo virtutibus imbuto, seu radice sua profluere debeant officia ritusque omnes; si quidem non adsit animus hujusmodi, profecto inane quoddam humanitatis simulachrum merumque mendacium ritus omnes officiaque erunt. Rursus, cum necesse sit animum virtutis

expertem variis concuti motibus, assidueque perturbari, inutilis profecto in tanta motuum interiorum discordia, concordia omnis instrumentorum vocumque erit.,,

§. 104.

Unde tanta ejus dignatio? Mirum videri posset, *tantam* Musices dignationem fuisse apud Philosophum, ut *aequivaleant locutiones*, * sive Musicam concidisse, sive regnum pessundari dicat:

L. III. P. IX. fol. 138. 139. sunt querelae ejusmodi: „ Magnus Magister Musices, cui *Chi* nomen, migravit in Regnum *Ci.* qui secundae mensae, seu refectionis Regiae Musicam regebat, *Can* nomine, migravit in regnum *Cu*; &c.

Sed vero *Odae* & *Carmina* musico inculcata concentu ea erant, ut de iis liceret asserere:

L. III.

* Ne absurda isthaec, & somniantis Philosophi dicta arbitrentur Lectores, dicam, ut mihi videatur? Suppono gentem, quae publicis ad virtutem populo persuadendam concionibus destituatur, quae solo Imperantium exemplo & decretis regatur politicis, in qua tamen virtutis praecepta ab antiquis fuerint relata in odas, eademque Musices beneficio vulgata in populo, cum fere in modum, quo sacrae religionis mysteria cantionibus vulgari, inculcarique & familiaria hominibus reddi solent. Supposito hoc ordine intelligitur cum musica stare & concidere morum praecepta & notitiam, cum notitia fugere exercitationem, ruere instituta publica, & dissolvi vincula reipublicae.

L. III. P. IX. fol. 127. 128. „*In Odis* velut in speculo possumus contemplari, *quid* nos maxime *deceat?* quid rursum dedeceat? hæc autem contemplando *permoveri* salubriter. Eædem nos *docent*, quo pacto *domi* serviamus patri; absentes vero & procul *a domo* serviamus & Principi. *Quisquis* non exercitat sese *in primis* odarum *capitibus Cheu nan* & *Chao nam*, hic similis est homini directa ad parietem facie consistentis, id est, *inutilis ad omnia*, utpote, qui nec uno passu queat progredi, nec quicquam rerum contemplari.„

§. 105.

Jucundum est, quod L. III. P. II. fol. 10. legitur de *Epithalamio* Regis *Ven vam*, & hoc ipso, quem modo recitavimus loco intenditur. Duobus enim primis odarum Capitibus continetur Epithalamium illud Regis, & laudes utriusque Conjugis, quod primum quidem de suo ipsorum animo excolendo sapienter laboraverint: tum de familia recte instituenda; ac denique de Regni totius ad Septentrionem siti administratione, cujus præclaram normam ad Australia deinde Regna traduxerint. Testimonium de *festo*, *Carmine* & *Musica nuptiali* adeo decorum est, & virtutis plenum, ut nostris Templorum consecrationibus pro exemplo esse possit, non nuptiis solum.

Specimen talis Musicæ in Epithalamio Regis *Ven vam*.

Finiamus hanc partem eo affectuum musica moderandorum, domandorumque specimine.

L, III. P. II. fol. 10. „ Confucius ait: Carmen Epithalamium *Quançiu* dictum, *latum* quidem est, ac festivum, & non obscœnum: *Mœstum* est, quatenus exprimit amantis desiderium, variosque affectus animi; *non tamen* est ejusmodi, quod afficiat quenquam vehementius ac perturbet. Diu erat, quod Virginem, cui *Tai su* nomen, eximiis naturæ dotibus ac virtutibus ornatam Rex *Ven vam* in uxorem sibi expetierat. Et *ardebat* ille quidem amore desiderioque virginis: Veruntamen *sic* ardebat, ut nihil ageret, vel diceret, philosophoRege indignum. Ubi vero *nuptiarum dies* tandem adfuit; quamvis *aula* festo Concentu Musicorum *tota* resonaret: adeo tamen *nihil* audiebatur, quod verecundas aures offenderet; ut *e contrario* petulantiores motus animi coërcerent eximia, quæ carminibus illis continebantur, documenta. „

Non hic opus est de usu hujus Exempli admonere. Quicunque illud nostris contulerit moribus: facile caussam divinaverit, quare illud hoc loco nequaquam omitti posse aut debere censuerim.

SECTIO

SECTIO QUARTA SPECIALIS.

DE

COMPOSITIONE ACTIONUM EXTERNARUM.

§. 106.

INternam animi compositionem vidimus, præcipuam illam & difficiliorem, testimonio discipulorum Confucii: *Inde* gradum *ad externa* facimus, eorundem more. Personam suam, aut *corpus suum* ad honesti decorique rationes *componere* appellant, si quis in actionibus externis omnibus virtutem sequatur, intendat, augeat, & factis quasi suis edoceat, & persuadeat. Legitimus hic *transitus* est, a privatis atque internis animi virtutibus ad publicas atque ad Regimen aliorum applicatas: Neque enim *interna* animi rectitudine, nisi *ipsis nobis* prosumus; si præire viam *aliis* oporteat, *externis* id actionibus fieri debet; sed iis tamen, quæ ex intima cordis sinceritate scaturiant.

Ratio ordinis.

riant.

riant. Ita ordine ſibi officia ſuccedunt; quod præ manibus eſt præceptum de converſatione & conſuetudine cum hominibus, antecedanea ſui *fundamenta* in prioribus habet; *fines* ſuos in ſequentibus nanciſcitur.

§. 107.

Inſtitutum Sectionis. Plurima hocloco congeri poſſent, eſt enim hæc ſectio e prolixioribus: ſed *ſelecta*, dabimus aliqua; & ea præcipue, quæ noſtris quidem aliquando Compendiis moralibus inſeri aut diduci non ſolent, etſi præ aliis neceſſaria, & utilia ſint, neque incognita docentibus. Dabimus primum aliqua de externo corporis habitu, & morum compoſitione, tum de ſermone, de amicitia, de diſpenſandis opibus, de fama & ſimilibus pauca ſuperaddam.

§. 108.

Virtutes exteriores ſeſe mutuo temperantes. Generatim Philoſophus *Naturalem* ſimul aliquam *diſpoſitionem* poſtulat ad ornatum quoque & compoſitionem exteriorem, *& Culturam* ejus temperatam: *Illam* ut ſimplicitati conſulat morum, & affectationem præcludat; *hanc*, ut ſimplicitatem a ruditate ſecernat. *Semper* enim *duo* ſibi ſubordinat aut adjungit. officioſitatem gravitate adſtringit; ſeveritatem temperat comitate. Auctoritatem poſtulat, ſed lenit quoque animi facilitate: familiaritatem a contemtu præ-

præservat mutua familiarium observantia. Ardori reprimendo judicii maturitatem: cunctabundæ prudentiæ opponit occasionum captandarum necessitatem. Docet id tum exemplo suo, tum præceptis. L. III. P. IV. fol. 45. utrumque conjungitur. Discipuli enim & Magistri exemplum prædicant, & effatum repetunt.

„*Confucius*, inquiunt, blandus *erat*, comis, affabilis; & tamen idem venerandus & compositus. Gravis erat ac severus, ubi res postulabat; idem tamen haudquaquam morosus, asper, truculentus. Officiosus, observans aliorum, & reverens: sic tamen, ut per quam temperate, suaviter, ac citra molestiam ac fastidium.„ *Verba Magistri* illa referunt: „Comis & *officiosus* est quispiam; at sine debito modo ac mensura: utique fatigabit se gratis, nec raro cum molestia fastidioque aliorum. In negotiis tractandis *consideratus* est ac sollicitus: at sine debita moderatione, utique erit perplexus, & qui ad singula quæque hereat, ac trepidet. *Fortis* est quispiam, & strenuus: at sine prudentiæ moderatione, ac freno, sic ut res quasvis temere aggrediatur; is utique perturbator erit rei domesticæ ac publicæ. Denique *rectus* est quis ac justus; at sine modo & discretione, nihil valens dissimulare: talis utique sæpe an-

pe angetur animo, seque ipsum irretiet periculis ac molestiis.„

§. 109.

Conjunctio Naturæ & Culturæ, adversus Ruditatem & Ostentationem.

Necessitatem præceptorum, naturali indoli accedentium, philosophus inde repetit, quod alioquin rudis & rustica futura sit exterior hominis compositio: *Indolem naturalem* ideo præsupponit præceptis, ut ne affectatio e factis eluceat. Scopulum enim existimat, si quid durum, coactum, affectatum, male collocatum in actionibus deprehendatur; & ostentationem id interpretatur virtutis, ipsi quam maxime virtuti damnosam.

L. III. P. III. fol. 32. inquit Philosophus: „Si simplex naturæ idoles excedit exteriorem ornatum & compositionem, id est, si *natura* sibi prorsus *relicta* est, nihilque vel subsidii vel ornamenti acceperit ab arte vel cultura, tum illa procul dubio rude quid erit, rusticumque & agreste. Contra si ars, seu verius *ornatus* ille cultusque *exterior excedit* naturalem illam simplicitatem; tum affectatum nescio quid, mere politicum, & mere concinnulum existet. At vero si *interiori* naturæ simplicitati & candori *exterior* ille cultus & ornatus ita *societur*, ut citra excessum alterutrius vel defectum sibi mutuo grata cum diversitate, sed & justa cum proportione respondeant. Tum demum

demum verus existet *Kiun çu*, existet, inquam, illustre quiddam & numeris suis absolutum, Viri scil. gravis ac politi pulcerrima sane species; sicut & pulcerrimam solet efficere in ipso corpore apta figura membrorum cum suavitate quadam coloris conjuncta.„ Alter, contra ostentationem, locus e pluribus similibus hic esto L. III. P. ultima fol. 143. „*Çem çu* ait: quam magnifice gravis est totius oris corporisque habitus amici mei *Çu cham*; sed vel ideo perquam difficile est una cum illo exercitare internam solidamque virtutem, sic ut vel ipse ex aliis, vel alii vicissim ex ipso proficiant: quid enim adjumenti mutui ad interiorem animi cultum speretur, quando *magis* videtur *laborari* de *ostentatione* quadam virtutis, quam de virtute ipsa.„

§. 110.

Tria cognovi *antiquorum philosophorum* genera, præ ceteris singularia: singula his dictis redargui, & in viam reduci possunt. qui cultum & humanitatem omnem negligunt, naturalibus saltim instinctibus regi soliti, ab antiquis *Cynici* appellati sunt, *Diogene* auctore nomen a mordacitate, vel moribus nacti. Qui virtutis gloriam in ostentatione collocarunt, & magnificis sententiis, agendi etiam ratione a ceteris mortalibus, quasi longe infra se positis, ipsi sese discer-

Comparatio Confucii cum Cynicis, Stoicis, Aristippo.

nentes,

nentes, *Stoici* fuerunt, ſplendore magis, quam ardore virtutum clari. Tertii, qui cum *Ariſtippo* & ſimilibus comtuli & criſpati, in externo corporis habitu & ornatu nimii, moribus ad aſſentationem compoſitis, amores potius, quam Philoſophiam profiteri viſi ſunt. Arbitror *Confucium media* hic *via* ingredi, & cultum, ſed temperatum; concedere ſimul & præcipere; virtutis ſpeciem & apparentiam poſtulare, ſed neque quæſitam minis, neque incruſtatam ſolum, aut fucatam.

§. 111.

Confucius de Cultu Externo judicat diverſimode.

Utcunque autem in commendando cultu etiam externo multus fuerit, *dupliciter* tamen de obſervato illius neglectu pronunciaſſe legitur: *Aliquando Diogenem* ejusmodi *Sinicum*, hominem incultis moribus, ſed virtutis non expertem, adverſus diſcipulorum ſuorum accuſationes *defendit*; *aliquando* alium vitiis immerſum, etiam ob neglectum in externis geſtibus & morum elegantia cultum graviter *reprehendit*. Utrumque locum exhibeo, quia *morem* ſimul indicant *Sinicum*, quo id indecens habetur, *diſcooperto capite* ſalutare hoſpitem, aut *decuſſatis cruribus* ſedere.

L. III. P. III. fol. 26. 27. *Çu ſam pé çù* illud a Confucio per diſcipulos quæſito teſtimonium accipit, „Poteſt & ipſe Magiſtra-

gistratum gerere; Vir enim moderatus est, nec qui minutiis intentus majora negligat. Ea occasione recensent interpretes, fuisse illum Virum tantum aut sui, aut gravitatis Sinicæ contemtorem, ut laceris incesserit vestibus, sine pileo, adeo non erubescens paupertatem suam, ut palam illam ostentaverit. *Confucius* visendi gratia adibat hominem: Ille autem, *discooperto*, ut erat, *capite* hospitem excepit. Indignantibus Confucii discipulis, quod neglecto ritu operti capitis hospitem salutasset, „quorsum, inquiunt, o Magister adis hominem usque adeo agrestem & rusticum? Ad quos Philosophus; „Placet mihi recti hominis simplicitas; rusticitas utique non placet. At huic ego mederi pervelim.„ Sed vero *aliud judicium* est L. III. P. VII. fol. 110. 111. ubi *Yven-jam*, inconditis corruptisque moribus homo, sectator philosophiæ *Lao Kiun decussatis* sedens *cruribus* Confucium sibi notum expectabat. „Ille igitur agrestes hominis mores aliaque totius vitæ vitia animo damnans sic ait: Olim quidem *tu adolescens* cùm esses, non fuisti submisso animo & observans natu majorum; *Grandior factus* nihil habuisti virtutis & laudis, quod prædicaretur: *Senior jam*, nisi moriaris ocius, hoc enimvero erit esse damno quam plurimis pravo exemplo

 & mo-

& moribus. Hoc dicto, *ſcipione* leviter *percusſit* ipſius *crura*, ſic quoque debitæ gravitatis ac decori moniturus agreſtem hominem.,,

§. 112.

De Sermone factis confirmando.

Sunt illa ejusmodi, ut *pro gentium moribus* admittant latitudinem: ſed vero reliqua converſationis inter homines neceſſariæ præcepta ſtrictiorem ſui obſervantiam poſtulare omnibus videbuntur. *De Sermone* inſtituendo, temperando, judicando elegantia præcipit, quibus facile noſtras de ſermone naturali, de falſiloquio, reſtrictione mentali, & ambiguitatibus theorias commutavero. *Principale* hoc eſt *officium*, reſpondere operibus verba, verbis opera.

L. III. P. VII. fol. 104. „Sapiens erubeſcit ſua ipſius verba, ſi quando vincant, ſeu excedant ſua ipſius facta.,, L. II. fol. 48. „Vir perfectus in quotidianis quoque ſermonibus circumſpectus eſt, & ſi quid fuerit, in quo deficiat, adeoque non expleverit officium ſuum, tum non audet non ſibi vim facere, ut tandem id expleat. Si ei nimia ſuppetat verborum copia, *non* item audet *totam effundere*; adeoque ſeverus ſuimet cenſor hoc agit, ut verba reſpondeant operibus, & opera reſpondeant verbis.,,

§. 113.

Motiva Taciturnitatis.

Ex illo etiam fonte *taciturnitatis ſtudium*

Phi-

Philosophus commendat, & parcum esse sermonem præcipit. Posset aliquis vereri, ut *mutos* id præceptum *homines* redderet, si injungeretur severius; sed vero inter virtutis studiosos, neque multus requiritur sermo, neque nullus subsisteret. *Longe petitum* est facti *exemplum*, namque & Confucius, sua jam ætate, de priscis loquitur: neque tamen eo minus commendabile est, & æmulatione dignum.

„*Prisci*, inquit Philosophus L. III. P. II. fol. 17. sermonem non proferebant, nisi raro & perparce: Pudore quodam suo impediti scil. quod intelligerent *se rebus* factisque propriis *nondum* pertingere, *quo* pertingebant *sermone*.„

Placet hoc motivum omnino præstans, & cohibendis vaniloquorum hominum gloriationibus appositum. Nostris tamen moribus atque ingeniis accommodatius est alterum, L. III. P. III. fol. 19. quo *effectus loquacitatis* molestiores indicat.

„Obruere & opprimere alios garruli oris promtitudine, plerumque indignationem movet, odiumque apud homines.„

Fortasse *illud efficax* foret haud paucis *argumentum*, si exemplum Confucii Nostrates aliqui sequerentur; quo *fratris filiam* discipulo elocavit, præmium studii in sermone prudenter temperando collocati.

L. III. P. VI. fol. 70. ita lego: „Discipulus *Nân-yûm* quotidie iterum ac tertio repetebat odam *Pe quei* dictam, quia tum alia documenta, tum ea potissimum continentur, quæ *prudenter* ac considerate *loqui* nos docent: Confucius *ob eam rem* sui fratris natu majoris filiam in uxorem ei tradidit.„

Neque desunt *argumenta* nostris *consueta*; Ejusmodi est, sermonem esse irrevocabilem, esse ad demonstrandam virtutem adeo insufficientem, ut grandiloquentia; garrulitas, facundiæque affectatio prodant animum virtute vacuum, & quæ sunt similia.

L. III. P. VI. fol. 80. 81. ita inconsideratum condiscipuli sui sermonem redarguit *Çu cum*: „O quam deplorandus est tuus ille sermo judiciumque de Viro sapiente! Sermo quidem talis, ubi semel temere ab ore prolapsus est, etiam *trahentibus quatuor equis*, non tamen redibit ad linguam, seu jam est irrevocabilis.„ Eadem P. VI. fol. 73. Confucius ait: „Discurrat quispiam, ac disputet de rebus optimis, nec copiose modo, sed etiam solidis firmissimisque rationibus, sic ut talis habeatur ab audientibus, qualem sonat ipsa oratio: an hic illico habendus erit vir virtutis solidæ, an fucatus & fictus? „Eodem Libro P. VII. fol. 103. quæstionem ita decidit: „Quo-

„Quotiescunque hominis cujusdam *sermones* non imbuuntur *verecundia* quadam seu modestia & moderatione; sed cum temeritate jactantiaque proferuntur: Tunc rebus factisque explere illos perquam difficile est. Nactus ergo *loquentem grandia*, quid is agat, observa; memor, inopiam factorum cum verborum copia non raro conjungi.„ Et P. IX. fol. 129. inquit: „affectati sermonis & facundiæ, nec non blandiusculi oris homines, *pauci* veræ virtutis sunt.„

§. 114.

Cetera de sermone præcepta huc fere redeunt: In sermone etiam familiari non ostentandam esse prudentiam privatam, sed eum ad virtutem dirigendum esse. Miscellanea de Sermone præcepta.

L. III. P. VIII. fol. 114. „Plures simul commorantes per totum diem, si *in colloquiis* inter se non attingant *virtutem*, sed gaudeant proferre in medium privatam prudentiam: o quantum laborabunt!„ *perdere* illum *verba*, qui cum indigno loquatur; perdere *hominem*, qui cum digno non loquatur.

L. III. P. VIII. fol. 112. „*Dignus* est quispiam, quicum instituas sermonem, & tamen si cum eo non instituis sermonem: *perdis hominem*. *Indignus* est quispiam, quicum instituas sermonem, & tamen si cum eo instituis: *perdis verba*. Prudens *nec* perdit hominem, *nec* perdit verba.„

respiciendum esse, & *quis* dicat? &, *quid* dicatur? eleganti formula.

L. III. P. VIII. fol. 114. „Sapiens, *nec ob sermonem* evehit hominem: *Nec ob hominem*, qualiscunque is sit, aspernatur ac negligit sermonem.„

In *Regno pacato* sermonem esse posse fidentem & fortem; in *turbato* & ægro circumspectum ac submissionis plenum.

L. III. P. VII. fol. 98. „*Si* in regno quopiam *viget Lex* auctoritasque boni Principis: fidenter fortiterque loquere; fidenter fortiterque age. In Regno *si jacent Leges* auctoritasque Principis: tunc nihilominus fidenter quidem fortiterque *agendum* est; attamen *sermones* solito plus facilitatis ac submissionis habeant, ne alioquin ægri corporis morbum exasperes potius, quam ei medearis.„

Denique sufficere, ut nudam veritatem sine quæsitis floribus & fuco quis enunciet.

L. III. P. VIII. fol. 115. „Verba percipiantur, & hoc sufficiat.„

§. 115.

De Amicitia Epicureus & Confucius collati.

Sermoni *amicitiam* subjungimus. Inter *Veteres* quidem philosophos *nostrates* pauca de colendis amicis præcepta exstant, *Epicureis* præcipue philosophis debita, quorum id ante ceteros eximium fuit, officia amicis præstanda non præcipere solum, sed omnino exhibere. Plurima sunt in eam partem documenta veteris historiæ: Egregium est *Ciceronis* testimonium,

nium, * quo sententiam exhibet *Epicuri*, quod omnium rerum, quas ad bene beateque vivendum sapientia comparaverit, nihil sit majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius; quo testatur, non *oratione* solum, sed vel maxime *vita* & factis & moribus id comprobasse Epicurum, adeo quidem, ut, cum in omni antiquitate vix *tria* amicorum *paria* inveniantur, ut ad *Orestem* pervenias, profectus a *Theseo*; *Epicurus* in una domo & ea quidem angusta, magnos, magnaque amoris conspiratione consentientes tenuerit amicorum greges, idemque fiat etiam nunc ab Epicureis. *Confucius* tamen & hoc loco *altius* sapuisse videbitur, cum non parandæ saltem jucunditati vitæ, aut voluptati, etiam illi, quæ animum oblectat, sine corporis illecebris, sed omnino virtuti acquirendæ & augendæ universam de Amicitia philosophiam subordinavit.

§. 116.

Alios igitur *utiles* amicos prædicat Philosophus, alios *perniciosos* dissuadet.

L. III. P. VIII. fol. 119. „*Utiles* sunt *tres* amici: *Perniciosi tres* item amici. Amicus rectus, amicus fidelis; amicus multa audiens: utiles sunt. Amicus exterius solum compositus & gravis; amicus

Amici utiles qui? quomodo? & quo fine parandi?

* L. I. de finibus Bonorum & Malorum, fere sub finem, fol. 1056. col. b. edit. Schreveliana, Basil. 1687.

cus blandus ac mollis; amicus loquax & garrulus: perniciosi sunt.,,

Parandos per virtutis studia; *adhibendos* ad virtutis mutua augmenta:

L. III. P. VI. fol. 88. inquit discipulus *Çem çu.* ,,Sapientes per literarum artiumque liberalium studia & exercitationes, sitas potissimum in exemplis, institutis, monumentisque priscorum Sapientum, sibi conciliant & associant amicos: per ipsos vero amicos mutuo sese adjuvant ad omnem virtutem & perfectionem animi.,,

§. 117.

Non contrahenda cum deterioribus amicitia.

Ut id obtinere liceat securius, deligi in amicos vult *meliores* nobis, saltim non pejores; ne damno sint nobis, non usui. *Indignos* nimirum *illos* arbitrantur, qui nec nobis possint, nec sibi velint esse utiles. Atque *ita* prius ab absurditate præceptum liberant, ne impossibiles amicitias esse cavilletur quispiam, si nonnisi melioribus accedere liceat, neque enim uterque est melior. *Positiva locutio* est magis, quam comparativa: cum bonis amicitiam commendans, cum malis interdicens. Tum vero *ad* amicitiam illa & *familiaritatem* pertinet, non ad qualemcunque cum hominibus consuetudinem, ut modo intelligetur.

L. III. P. I. fol. 6. Confucius inquit: ,,Ne contrahas amicitiam aut familiaritatem cum quopiam, qui sit deterior, quam sis

ſis tu ipſe; quippe damno tibi futuram, non uſui. Imo quos Te meliores eſſe Viros cognoveris, hos ſectare, his jungere.„ L. III. P. X. fol. 140. *Çu hia* ſic præcipit, & priorem ſententiam interpretatur nobis.„ *Cum iis, qui* digni ſunt amicitia, quia ſcil. recti ſunt, ſinceri, amantes diſcere, & tales viciſſim, a quibus ipſe diſcas, conjungere quam volueris arctiſſimo amicitiæ vinculo. *Eos* vero, *qui* non ſunt digni illa, quod nec Tibi poſſint, nec ſibi velint eſſe utiles, procul abs te remove.„

§. 118.

Excipit *Çu cham* loco allegato, & poſtulat, ut vir ſapiens ſtudioſe *colat ſapientes*, & ampliſſimo quodam charitatis ſinu *admittat reliquos omnes*, & benigne complectatur: ut exornet atque extollat eos, qui egregiis ſunt inſtructi dotibus, & miſeretur imbecilles, quos jacentes erigat, & conſilio ac opibus ſuſtentet & roboret: *Recte illa* ex ſententia Confucii. Sed *nimia* eſt ex antecedenti illatio.

Imbecilliores tamen admittendi, ſed non promiſcue.

„Qualescunque ergo alii ſint, & qualiscunque ſim ego ipſe, *neminem* unquam velim repellere. Ego forte ſum magnus aliquis ſapiens? De hominibus ecquis erit, quem non admittam & complectar? Ego contra non ſum unus de ſapientibus, ſed e vulgo homo rudis &

tenuis? tunc certe alii facile nec injuria repulsuri sunt me & neglecturi: quorsum igitur illa repulsio mea aliorum hominum? qua fronte, qui ipse despicabilis sim, despicatui quemquam habeam?

Ex doctrina discipuli Çu hia. Itaque respondet discipulus *Çu hia*, & alios ad minora valere dicit, alios ad majora; illos non postulat negligi, sed nec anteponi, nec æquiparari majoribus. Exemplum est ab agricultura & Imperio sumtum, *cujus* ego *hunc finem* arbitror, ut intelligatur ad consuetudinem ordinariam admitti etiam viliores posse, ad sublimiorem, familiariorem, & interiorem sapientes expeti & quæri debere. Est hic *orientis genius*, enunciare sententiam similibus, in quibus haud raro divinationi locus est. Dabo igitur verba, ut se mutuo consequuntur.

„*Çu hia* discipulus ait: Quamvis exilis ars atque ratio ad res maxime vulgares & exiles, v. g. agriculturam & exercitationes mechanicas accommodata, omnino tamen habet spectabile quid, & dignum, quod observes & discas. At si extendere volueris eandem deinde exilitatem, & accommodare ad res sublimes & remotas a vulgo, e. g. administrationem Imperii, familiæque Regiæ; vereor, ne tunc protinus in luto hæreas, nec quicquam proficias. quocirca vir sapiens, idem-

que

que gerendæ Reip. jam admotus non tractat res hujusmodi.„

§. 119.

Esse illam & *Confucii mentem* diversis locis intelligitur. *Postulat*, ut bonis cohabitemus, etsi paucioribus, & omnino barbaris quoque; *vult* ut commercia malorum, etiamsi potentum, sed cum prudentia tamen, evitemus; *vult*, ut sapientibus adjungamur, eosdemque imitemur: *Iterum* tamen ostendit, *quomodo* versandum sit cum bonis & malis; *quomodo* cum imbecillibus; *quomodo* cum peccantibus; *quomodo* agendum cum iis, quos incorrigibiles experimur? Consentiente Magistro.

L. III. P. VIII. fol. 120. „Contemplare, *alterius* quod *bonum* sit, tanquam eo nondum perveneris: Contemplare *alterius* quod *malum* sit, tanquam si contingeres bullientem aquam? Ego vidi ejusmodi hominem: Ego audivi ejusmodi proverbium.„ L. III. P. VI. fol. „Vir *probus* & sapiens *perficit* verbo & opere *aliorum* hominum *virtutes* & laudes, juvando scil. imbecilles, timidos ac jacentes erigendo, subdendo calcaria currentibus: nequaquam vero tuetur aut confirmat perditorum hominum licentiam & improbitatem. Stulti vero improbique viam tenent plane contrariam huic viæ.„

§. 120.

§. 120.

Officia Amicorum mutua.

Officia amicorum mutua recenseri illa video; *adjuvare se* mutuo *in studio virtutis.*

Ejus rei specimina jam allegavimus. adeoque *monere errantes*, sine importunitate tamen, & magna cum fide recta etsi libere *monentes* magni habere & *sequi* alacriter; *incorrigibiles* deserere.

L. III. P. VII. fol. 88. *Çu cum* consulit de Amicitia, respondet Magister: „Magna cum fide & benevolentia commoneto peccantem, & comiter affabiliterque dirigito in viam, a qua is aberravit; quod si nihil efficere hic potes; tum quidem tu desiste prudens, ne alioquin importunitate Tua ipse tibi sis dedecori.„ L. III. P. II. fol. 17. *Çu yeu* inquit: qui ministrat Regi, si importunus sit, hoc ipso probrum sibi accersit: qui item *apud* sodales & *amicos* suos *importunus*, hoc ipso alienabit ab se animos illorum. Sed caveant hic (addit *Interpres Sinicus*) vicissim Viri Principes, & quicunque amicitias colunt, ne dum monentur paulo liberius, repugnanter id accipiant, audiantque cum molestia, quod tamen cum fide benevolentiaque dicitur: Periculum est enim, ne *vero amico* protinus succedat *blandus*, & fido monitori improbus assentator, qui eosdem non modo

do ferri finat præcipites, fed ultro quoque in exitium & ruinam propellat. „

adhibere *reverentiam*, neque nimia familiaritate mutuo fibi vilefcere, & exuere obfervantiam:

Elegans eft L.III. P. III. fol. 23. in eam rem Confucii teftimonium de Præfecto Regni *Çô*; „ *Yén pîm chûm* omnes explet numeros in colenda cum hominibus amicitia: Eft enim amicus *vetus*, & tamen *reverens*: Velut fi amicitia foret etiamnum recens. „

communicare mutuo *fua*, nec indignari, cum ex ufu detrimentum capiant, aut omnino abfumantur.

L. III. P. III. fol. 25. Confucius exquirit vota difcipulorum: Refpondet *Cu lu*: „ Defidero ego currus & equos; induique bonis ac levibus pelliceis. Et *hæc omnia cum* amicis habere *communia*; eisdem quoque res meas atterentibus longo ufu & prorfus abfumentibus, tamen neutiquam indignari; nec id molefte ferre. „

§. 121.

Præcipue fidem Philofophus mutuam poftulat; eandemque obtinere docet, & *ad* alia *majora valere*, maxime ad conciliandos fuperiorum animos diferte teftatur, eleganti gradatione. Momentum horum Præceptorum.

L. II. fol. 66. „ Qui conftitutus eft in inferiori dignitate, fi non prius concilia-

tum

tum sibi habeat animum Superioris sui, & in suprema dignitate constituti, nequit fieri, ut populus recte ab eo & pacifice gubernetur. Conciliationis autem animi apud superiores & supremos magistratus datur sua quoque ratio & Regula, cui innititur: ut datam scil. fidem servet amicis suis & æqualibus. Etenim si non ex animo servet quis fidem cum amicis, nec poterit obtinere gratiam, benevolentiam & fidem apud superiores & supremos magistratus; hi enim non dabunt fidem fallenti, quamvis amicus & familiaris sit, qui falsus est. Ut autem quis servet fidem cum amicis, datur & sua regula & ratio quædam; si enim non serio obsecundet quis & obsequatur, adeoque fidem quodammodo fallat, parentibus, hoc ipso nec fidem servabit cum sociis & amicis. Ad obsecundandum vero parentibus datur etiam quædam ratio & regula &c.

Neque illa *consulunt* solum Philosophi Sinæ, sed *præcipiunt:* Ita enim inter præcepta de pactis servandis, colendaque justitia, & prudentia præcipit *Yeù çù:*

L. III. P. I. fol. 8. „ Ad amicitias quod attinet ac patrocinia, quibus nitare, eos Viros haudquaquam neglige, quos sua spectata fides ac probitas amore dignos reddidit, quibus adeo possis uti patronis ac defensoribus in omni casu & fortuna. „ §. 122.

§. 122.

Diximus de exteriori hominum cultu, tum generaliter, tum specialiter, quoad officia amicorum: *Summa dictorum* universa hæc est, *Confucii* verbis: Summa dictorum de Amicitia.

L. III. P. VII. fol. 96. „Vir *probus* ac sapiens, *quantum* fas est *ratio finit*, concordat cum omnibus, sic tamen, ut *non* sit *unum* quid, & idem cum promiscua hominum turba: Contra *improbus* & insipiens delectu nullo *unum quid* idemque se facit *cum omnibus*; & tamen *cum nemine concordat*, quatenus fas & ratio præscribit.„

§. 123.

Succedant Monita *de opibus*, & facultatibus hujus vitæ dispensandis; namque & illa est præcipua quædam cura hominum, qua legitime temperata haud pauci abusus caveri, usus introduci possent. *Inhumani* sunt, qui commoditates vitæ omnes negligunt: *Molliculi*, qui solis unice occupantur: Inter utrosque *medium* deprehendo *Confucium* cum sequacibus. De Opibus.

§. 124.

Initio quidem *divitias a Cælo* venire asserit, eoque nimiam habendi cupiditatem, & ardorem acquirendi temperat, & ad ea reducit studia, quæ certius in facultate hominis posita esse arbitratur, virtutis nimirum & rectæ rationis cultum. Fundamentum officiorum.

L. III.

L. III. P. IV. fol. 38. „ Divitiæ siquidem possunt *humanis viribus* industriisque obtineri; ad eas obtinendas vel agasonem, si necesse fuerit, ego quoque agerem. Si copiæ & opes non possunt humanis viribus industriisque comparari, sed *a solo Cœlo* dependent: sequar scil. ipse, quod amo, [& teneor, & possum, lumen, inquam, ductumque rationis a Cœlo mihi inditum. „

§. 125.

Præcepta Confucii sublimia.

Eodem argumento commendat discipulus acquiescentiam in arbitrio Cœli, loco superius exhibito: *Confucius* autem severior est, & *plura* postulat, *quam* ausi fuerunt *philosophi Europæi* omnes. Magnifice de se sentiunt, qui utcunque valent inopiam ferre, ut non incipiant illicitas artes sectari, aut indignari Cœlo, & hominibus: Magnifice, qui divitias ita regunt, ut non insultent aliis, aut fas justumque omne conculcent. *Utrumque* illud *& Confucius* postulat.

Locum de Sapiente divite & paupere, dedi superius §. 95. Testimonium de discipulo *Hoei* hoc exhibet Magister L. III. P. VI. fol. 73. „ Meus Hoei o quam is prope aberat a vera virtute: *sæpe* ad *extremam* rerum penuriam redactus fuit, & ne tum quidem a suscepto virtutis proposito recedebat, „ L. III. P. VIII. fol. 112. Vir *probus* ac sapiens durat in egestate gravi;

gravi: stultus & *improbus* in egestate gravi constitutus hoc ipso dissolvitur animo. „

Sed longe *sublimius praeceptum* est, quo postulat, ut pauper & dives *gaudeat* suis officiis, non expleat solum. Egregius in eam rem sermo est L. III. P. I. fol. 8. quem integrum exhibeo.

Discipulus *Çu cum* percontans a Confucio, ait: si quispiam sit pauper & tamen sublevandæ paupertatis gratia haud aduletur cuipiam; si divitiis affluat, nec tamen extollatur superbia: de hujusmodi quid censendum? Confucius respondet: *sua laude* dignus est is quidem, *non is tamen*, qui impleverit numeros omnes veræ laudis, veræque virtutis; adeoque nec dum comparandus *cum eo, qui pauper* sit, & sua illa paupertate contentus gaudeat; *dives* sit, & tamen gaudeat officiis; mansuete scil. moderateque se gerens, sine fastidio vel arrogantia, & in omnibus obtemperans rationi. „

§. 126.

Fieri id posse *suo* philosophus *exemplo* comprobat, ubi victus sui rationem exponit, & voluptatem etiam cum illa solidam, e virtute pendulam, consistere asseverat. **Exemplum ipsius.**

L. III. P. IV. fol. 40. „ Confucius ajebat: Vescor fere admodum vulgari parabilique cibo; poto *lympham*: &, dum bre-

vi somno reficio vires, inflecto cubitum, capitique subjicio, & is mihi pro cervicali est. Hoc interim affirmo, quod *sua philosopho voluptas* etiam constet hæc inter. Habet omnino *suas virtus delicias*, medias inter asperitates. Quisquis autem expers est virtutis, etsi idem sit dives & opulentus, adeoque, sicut fere usu venit, honoratus: apud me certe erit instar volantis nubis.,,

§. 127.

Quid improbus dives Confucio?

Volantem Confucius *Nubem* vocat improbum, etsi divitem: quid ita? certus est, non illum posse fortunam ferre nec asperam, nec prosperam; dejici altera, altera efferri, in utraque miseriam aut invenire, aut accersere sibi. Dic, quis ille hominum status sit, qui fortunatos cetera facit miseros? qui beneficia convertit in venenum? quo nec carere opibus, nec uti homines possint, miseri copia, miseri inopia?

L. III. P. II. fol. 14. diserte Philosophus: ,,*Improbi* haudquaquam possunt longiori tempore commorari cum ærumnis & paupertate; haud item possunt longiori tempore commorari cum faventis fortunæ lætitiis. *Vir* interim *probus*, quæcunque sors casusve incidat, in una conquiescit virtute. Vir etiam prudens non emolumentum & lucrum suum petit ex virtute.,,

Faci-

Facilius tamen est, Confucii sententia, cum divitiis non efferri, quam non dejici in paupertate.

L. III. P. VII. fol. 100. Confucius ait: „Versari in paupertate, & tamen non odisse illam, perquam difficile est. Esse divitem, & tamen esse sine fastu, vel superbia: facile est.„

§. 128.

Transeo plura ejus generis præcepta: De modo acquirendi, & dispensandi addo paucissima. *Duplex* ille est philosopho, prout de probis quæritur, aut improbis. De *posterioribus* ita disserentem audio.

Modus acquirendi opes.

L. III. P. VIII. fol. 129. „Ti, qui conditione & moribus viles & abjecti sunt homines, quomodo hi servire possunt Principi & Reip. quam etiam afferant raras facultates ingenii & industriæ? Omnino non possunt, quippe homines hujusmodi priusquam obtineant, quod expetunt, anguntur intimis sensibus, donec per fas & nefas id obtineant. Ubi vero jam obtinuerunt: rursus tamen anguntur & discruciantur, ne amittant. Atque ubi timetur amitti, quod sic acquisitum est opum & dignitatum, jam nihil est, quo non pertingatur. Nihil, inquam, est tam abjectum, tam turpe, tam iniquum, quod non agant, & patiantur.„

De *prioribus* alia plane sententia est: L. III. P. II. fol. 14. ubi sic pronunciat: „Opes & honores ea sunt, quæ mortales appetunt. Verum si non sit consentaneum inspirationi, illa obtinere, *verus Philosophus* neutiquam in illis persistet. Ultro scil. se his abdicabit. Rursus inopia & humilitas, vilitasque ea sunt, quæ mortales oderunt ac fugiunt: *Verus* autem *Philosophus*, tametsi forte non secundum ipsum jus hæc illi obvenerint; ipse tamen haudquaquam id aget, ut ab se per fas & nefas inopiæ vilitatem avertat.„

§. 129.

Modus dispensandi in Exemplo. Denique *dispensandarum* opum & beneficiorum exemplum ipse ac præceptum exhibet Philosophus L. III. P. III. fol. 27. 28. Cum enim discipulorum Confucii aliquis ab ipso ob publica negotia in aliquod vicinum Regnum ablegatus fuerit, alter deinde discipulus *pro matre absentis* magistrum adiit rogavitque, ut præberetur eidem milium per modum annonæ. Dedit ille modicam plane mensuram, & repetita prece auxit, sed parvo saltim: Discipulus igitur de suo illi majorem multo, quam par erat, mensuram adjunxit. Correcturus immodicam liberalitatem Magister, ostendit *factum suum* nequaquam ex avaritia profectum, sed *attemperatum* fuisse *officiis*; nimirum absen-

absentem esse divitem & locupletem, ut qui splendidum & probe pastum equum conscenderit, & levibus optimisque pelliceis indutus fuerit: se autem semper audivisse;

„Virum probum ac prudentem elargiri *egentibus*, non superaddere divitibus.„

Ejusdem commatis est alterum eodem loco, cum enim discipulo *Yven su* in censum præfecturæ *stipendium* obtulisset, recusasset autem discipulus: Confucius, factum improbans, admittere censum, superflua inter egenos dispensare jubet:

„Ne recuses, inquit, *stipendia* a Rege statuta. Si *superflua familia* Tuæ sunt, admittas tamen, ut dispertiaris inter tuas villas, pagos, vicos, & oppida, curæ Tuæ commissa, in quibus utique egeni & pauperes.„

§. 130.

Plura de institutis *pauperum bono* subservientibus adjungi possent historica, nisi festinandum esset ad sequentia; *Passim* enim a Regibus dispositum est, ut egenorum & *præcipue senum* e publico cura habeatur. Illud *unum hic* attendi velim. Fecisse *Sinas* pro sua, qua florent, prudentia, quando *non solum* meminerunt egentium, *sed vel maxime* cavent, ut ne multi fiant egentes. *Præposteram* illam curam puto, quæ ad eos solum at- De Institutis pro Pauperibus.

 tendit,

tendit, qui jam tum miseri sunt: *Prudentiorem* illam, quæ primo vigilat, ut ne quis fiat egens culpa aut sua, aut aliorum, tum vero, si infortunia caveri omnia non potuerint, ut ceterorum opera egeni juventur. Non jam de *officio Civium* mutuo sermocinari placet: placet de *utilitate* illius curæ respectu *Reipublicæ* breviter admonere. Certum est, *aucto* egenorum numero *dupliciter* ceteros onerari, partim quod alendi aut juvandi sint plures, partim quod eorum, qui ad hanc operam concurrunt, subinde fiant pauciores; dum successive alii atque alii ad egestatem ipsi reducantur, ut aut minus largiri valeant, aut ipsi necessum habeant ab aliis necessaria flagitare. *Augetur* vero in Republica numerus egenorum, *nisi alterutrum* fiat ex sequentibus; ut, *aut* in universum prospiciatur, & removeantur, saltim diminuantur caussæ, quibus ad egestatem populos reduci contingit; *aut* tanta hominibus jam egenis subsidia præstentur a divitibus, ut non animam solum ducere, & extremam sedare famem possint, sed ipsi iterum ad ejusmodi vitæ genus redire, ut suo sibi labore & industria parare queant necessaria. *Postremo* huic vereor, ut ubique facultates sufficiant; atque ut sufficiant, quanta hic cautela opus est ad evitandos scopulos? quanta pruden-

dentia, ad circumscribendum limitibus institutum? quanta arte, ad persuadendam hominibus, saltim nostratibus, eam beneficentiæ plenitudinem, quæ instituto illi deberetur? Nolim descendere ad *Specialia:* etsi utilia publico; sed hoc loco aliena. *Volui* indice saltim digito ostendere, quorsum illi dirigere attentionem debeant, qui serium juvandi pauperes animum sibi induerunt. *Volui* rationem reddere providentiæ Sinicæ, quæ pauperum curam duplici absolvit capite, cautela antecedanea, & subsidio consequente.

De *Priori* locum allegabo inferius, sectione sexta, ubi præcipit Philosophus, quomodo prospiciendum sit necessitatibus populi, ne egeat. De *Posteriori* accipe Exemplum Imperatoris antiquissimi *Yao* quem bis mille & trecentis ante Chr. N. annis collocant Sinenses. De illo *Phil. Coupletus* in Chronologia Sinica fol. 3. „Fuit hic Imperator simul & Legislator, uti & *Xun* successor, uterque totius posteritatis Principibus norma & exemplar; erga pauperes pius, de ætate grandævos reverens. Quod eorum certus numerus in singulis urbibus hodieque annona Regia alatur, hinc manasse creditur. „Conferentiam, quæ de Imperatore *Ven Vam* recensentur ad L. I. fol. 9. 10.

§. 131.

De Cultu Exteriori Vestium, Rituum, &c.

Cernitur opum administratio *in vestitu* quoque & officiis Civilitatis; neque minima hæc pars est illius curæ, quæ circa externam hominis compositionem necessaria est, vel utilis. Sed non libet hic esse prolixioribus. Unicum hic præceptum allegare placet, ubi sapientior nonnullis Europæorum *Confucius* apparet. Si quæ in *vestium* aut *ceremoniarum* agendi externarum Ratione mutationes fiant; fiunt autem sæpissime inter nostrates: Tum diversa hominum studia videas. Quis nescit *leviculos* dari, & dari *morosos* homines: Alteros absurda, aliquando etiam minus honesta imitari promtissime; Alteros repugnare licitis, atque utilibus, & serio illud quoque, & pertinaciter. *Facile dicitur*, cavendum hic esse & excessum & defectum. Sed quo *criterio* discernitur uterque? Num recte *Confucius* officia & honestatem facit normam accommodationis illius, der mode, und des Ceremoniels.

L. III. P. V. fol. 53. 54. sic lego: „Confucius ajebat: Ex subtiliori cannabe contextus pileus olim erat officiosi ritus, ususque proprius. Nunc vero ætate nostra sericus est in usu, isque minus sumtuosus, & minus operosus. Ego, *licet hic* a Priscorum usu discedatur; quoniam *tamen haud* peccatur: equor mal.

multitudinem, & hac in re servio tempori. Salutare Principem, idque eminus & ex atrio inferiori mos ac ritus erat Priscorum. Nunc vero salutare Principem superius in ipsa Aula, revera nimium quid est & quasi arrogans. Quocirca *licet hic* adverser multitudini: *Ego tamen* sequor priscum ex inferiori atrio salutandi morem.„

§. 132.

Famam vero etiam communiter ad bona hominis externa referri constat. De illa non male Confucius, mea sententia. *Popularem* famam neque nihili habet, neque certum & sufficiens de probitate aut meritis testimonium esse concedit; vult examinari illam, & a sincero spurium secerni. *Praefert* illi famam inter probos, odiumque apud improbos contractum. De fama Populari Philosophia Confucii.

Accipe verba viri. L. III. P. VIII. fol. 114. „*Multitudo adit* quempiam? omnino examinetur! Multitudo *gaudet* quopiam? omnino examinetur.„ P. VII. fol. 96. „*Çu cum* quaerit: *Populares omnes* si *gaudeant* quopiam, quid Tibi videtur? *Confucius* respondet. Necdum id sufficit, ut certi quid de virtute ejus & sapientia statuatur. At si populares *omnes oderunt* quempiam, quid de illo tibi videbitur? *Confucius* ait: hoc quoque necdum sufficit. *Longe melius* est, tu-

tiusque, si popularium probissimi quique gaudeant illo; & si eorundem improbissimi quique oderint illum. De hoc *ausim* ego *tuto* affirmare, Virum esse probum & sapientem.

Tria sunt, quæ hic a Confucio didici. *Fieri potest*, ut omnes prædicent non merentem. quid ita? Pars regitur externis: pars relationibus. Pone illam incipere; hanc sequi; sic omnes aut plurimi laudabunt ultra meritum; alteri, quod normam judicandi nesciant, alteri quod factorum & personæ circumstantias. Quis nescit artificiola, quibus fit, ut popularem auram indulgentia, adulatione, desidia, ignorantia (sive vera sive affectata) neglectu officiorum (homini, litterato, civi, Christiano, &c. incumbentium) captent homines & obtineant in omni statu, publico & privato? *Fieri potest*, ut omnes culpent bene meritum. Quid ita? Pars præit ignorantia & affectu: Pars sequitur negligentia, aut zelo. Quis nescit caussas, quibus invidia virtuti adhæret & invidiæ calumnia, & odium calumniæ, & odio iterum calumnia, & sic Circulum hunc esse dicerem, uti indignissimum, sic vitiosissimum quoque, nisi latius propagaret odium calumnia. Est hæc ejusmodi genealogia, quæ amplius subinde diffunditur, non redit in seipsam. Calumnia

Titii

Titii facit odium in Sempronio; & sic deinceps. *Fieri* autem *non potest*, quin probus sit, quem optimi quique amant, pessimi quique oderunt. Quid ita? discrimen utriusque affectus ostendit, non sequi illos turbam, sed *ex sua* quemque *scientia*, & *ingenio* agere. Quis autem hypocrita omnes simul probos, quibus cum versatur (loquimur enim de popularibus) atque omnes simul improbos fefellerit? vide, si placet, Confucium, quem supra loquentem feci §. 52.

§. 133.

Est vero eximia quoque illa admonitio, & circa famam judicandam cautela, quando *clarum dici*, & *clarum esse* Philosophus discernit. *Alterum* enim externum est, nec in potestate sapientis positum, nec sapientiæ indicium infallibile; *Alterum* internum est, in facultate hominis situm, neque cum indignis commune, sed proprium sapienti. Aliis *illud* mediis acquiritur: aliis istud. *Alii* sunt, qui priorem celebrant; *Alii*, qui posteriorem. Allegabo locum, ut simul intelligatur, quomodo ingeniis quærentium responsa Confucius attemperaverit. Quid sit, dici clarum, & esse clarum?

L. III. P. IV. fol. 83. „Discipulus *Cuchum*, qui magis laborabat, ut audiret, quam ut esset bonus ac sapiens, quæstionem instituit ejusmodi; Litteratus quispiam [illegible] guber-

gubernator, quomodo hic poterit *dici* Vir *clarus* & illustris? Confucius, ut ulcus detegat, quærit vicissim, quidnam id est, quod Tu vocas *clarum* & illustrem *esse*? *Çu cham* respondet: aliud nihil est, quam si quis versatur in Regno quopiam administrator, omnino audire bene, & sermonibus omnium celebrari. *Confucius* ad hoc ait: quod ipse dicis hoc quidem est audire bene, & illustrem *dici*: At non est clarum *esse* & illustrem. *Diversa* namque sunt dici & esse. *Ego* itaque *sic* sentio: quod is, qui clarus & illustris est, de nulla re minus laboret, quam ut vulgo talis habeatur. Solidus, sincerus & rectus est: Et gaudet officio & æquitate: prudenter expendit sermones tum suos, tum alienos: quin etiam diligenter observat os ipsum oculosque, priusquam certi quid de quoquam statuat: Posthæc autem assidue meditatur, quo maxime modo cedat & submittat sese aliis. *Hujusmodi* sane *Vir* sive versetur in Regno Principis administer, procul dubio perillustris erit; sive versetur domi suæ Paterfamilias, procul dubio perillustris erit. Jam vero qui bene audiunt, & populari tantum fama clari sunt: hi modestia quadam & gravitate exteriori studiose captant virtutem; virtutis, inquam, nomen & famam, cum interim rebus ipsis ac factis adversentur virtuti. Iidem rursus tam placido tamque fidenter persistunt in virtute, umbra,

umbra, inquam, illa simulatæ virtutis, ut jam non sit ulla dubitatio, quin talis revera sit, qualem se mentitur esse. Adeoque sive is versetur in Regno, haud dubie celebratur a Principe; sive versetur domi, haud dubie quoque celebrabitur a suis. At profecto *celebritatem hujusmodi* execratur, quisquis est probus ac sapiens.,,

§. 134.

Neque vero *diuturna* est gloria, quæ simulatis tantum virtutibus nititur, & scaturit. Non jam repeto, quæ de cognoscendis hominum animis, eoque detegendo virtutum fuco Sinæ præcipiunt: Nimis id difficile est adversari internis animi dispositionibus, & abnegare illas sermone & factis; quam ut ita caute versari liceat, ut non aliquando *vera* actionum *motiva* e circumstantiis factorum eluceant, atque internam animi faciem conspiciendam præbeant. Laus ex Virtute simulata.

Itaque L. III. P. IV. fol. 42. „ Confucius inquit: Non habens, & tamen simulans se habere, vacuus & inanis doctrinæ, & virtutis, & tamen simulans harum copiam & plenitudinem; exilis ac tenuis, & tamen ostentans magnitudinem nescio quam, & excellentiam: simulator hujusmodi, tametsi *forte* per *exiguum* tempus imponat hominibus, vehementer tamen laborabit in servanda

da fingendi constantia, sicut non patescat *aliquando* fraus & simulatio.,,

§. 135.

Alia Præcepta remissive.

De Negotiorum gestione; *officiositate* & gravitate; de concilianda sibi, tuendaque *Auctoritate*; De modo agendi cum *infirmis*, cum *peccantibus*, cum *resipiscentibus*, cum *lædentibus*, cum *familiaribus*, cum *captivis*, cum *ægris*, cum *moribundis*, cum *lugentibus* &c. plura possent allegari haud inutilia: sed nimia hæc sectio foret; transeundum est aliquando *ad Publica* & Politica, postquam generale de hac quidem sectione præceptum Confucii enarravero.

§. 136.

Summa Præceptorum hujus Sectionis, ex Confucio.

Præcipua quidem *remedia*, a Confucio commendata, sunt *imitatio sapientum*, sine qua non arbitratur fieri posse, ut personam quis rite suam excolat: deinde *conciliatio Auctoritatis* inter filios: & perpetuum *virtutis* nonfucatæ *studium*. Ipsa autem hujus partis *officia novem* considerationibus absolvit: poscit attentionem ad ea, quæ videt; itemque ad ea, quæ audit; speciem oris serenam & placidam; statum corporis, reverentiæ indicem; in dictis fidem; in factis sedulitatem; in dubiis studium consulendi alios; in ira contentione aut vindicta moderationem ob damna consequentia; in occasionibus augendæ rei familiaris memoriam æqui & juris.

L.III.

LIII. P. IX. fol. 120. *Confucius* ait: „Virtutis & sapientiæ studiosus adhibet *novem considerationes.* Dum conspicatur quidpiam, seu lustrat oculis; meditatur *perspicaciam*, id est, clare probeque percipiendum sibi esse, quod oculis objicitur. Audiens quidpiam, meditatur acutam *vim audiendi*, probeque percipiendo voces & vocum significationes. Ad speciem habitumque oris, quod attinet, meditatur *serenam* quandam *placiditatem*, qua non alius color est, qui animos sibi potentius suaviusque conciliat. Quod attinet ad statum conformationemque totius corporis, meditatur *gravitatem* cum reverentia conjunctam. Ubi loquendum est, meditatur *fidem* ac veracitatem, qua lingua scil. cordi respondeat. Dum agit quidpiam ac molitur, meditatur *sedulitatem.* In rebus dubiis ac perplexis secum meditatur ipse, quem *consulat* potissimum, & qua ratione sibi lumen petat in illa caligine. Concitari sentiens animum iracundia, & studio contentionis ac *vindicta*, mature secum ipse reputat *incommoda*, damnaque nasci solita. Videns offerri copiam rei familiaris augendæ, protinus ob oculos sibi ponit *jus & æquum.* „

SECTIO



SECTIO QUINTA SPECIALIS.

DE

REGIMINE FAMILIÆ.

§. 137.

Ratio ordinis. A *Privatis* virtutibus *tener* transitus est *ad publicas*: fieri enim solet intermedio amore & potestate & officio Parentum atque liberorum. Diximus, quem ordinem *Sinæ* teneant & postulent & sufficientem judicent. Quid dici certius, & esse securius potest effato simul & consilio *Philosophi*, quo tuetur, *illum Magistratibus* lubentem obedire, *quicunque* domi didicerit obsequi *parentibus?*

„ L. III. P. I. fol. 1. quempiam esse hominem, qui domi quidem obtemperet Parentibus & debitis officiis obsequiisque prosequatur majores natu; & tamen foris gaudeat adversari legitimis Magistratibus: profecto rarum hoc est atque inusitatum. Rursum non gaudere quempiam adversari magistratibus, & eundem tamen gaudere seditiones ac turbas excitare, & perturbare remp. hactenus quidem nondum accidit. „

Quid

Quid ex adverso *efficacius* est *illo* de Magistratibus, quo indicat, subditos certatim in virtute efflorescere, si & Magistratus gaudeant officiis erga suos Parentes? lenita scil. per præeuntem Magistratum, duritate Legum apparente, & invisa hominibus; quos male habet alieno vivere arbitrio, donec necessitatem facti argumentis intelligant, aut præsumant exemplis utilitatem.

L. III. P. IV. fol. 46. „Si quidem is, qui Magistratu fungitur, solide constanterque se gerat erga suos parentes: tum procul dubio subditi hoc exemplo certatim quoque efflorescent in virtute. Idem, si antiquiores ætate vel meritis haud negligat abjiciatve; tum subditi non minus facient, & cives suos vel annis graves vel meritis colent, ac fovebunt. „

§. 138.

Liceat hic *liberalius* philosophari; quoniam id *Sinicæ* doctrinæ & prudentiæ præcipuum caput est, attendere educationi futurorum Civium. *Non* illa *privatorum tantum* cura esse deberet; *interest reipublicæ*, an bonis moribus cives, an obsequiositate? an cultu & veneratione Superiorum imbuantur? *Interest* id fieri, cum maxime flexilis est animus, neque contrariis repugnat affectibus. Serum est, homines sine perpetuo obsequii exerci- Momentum Præcepti.

 tio

tio adultos, & omnino licentiæ, vel suo tamen arbitrio adsuetos, externis demum argumentis, præmiis scil. & pœnis a magistratu propositis flectere & reducere in officiorum semitam. *Illud intimius* mentem afficit, *si a primis* statim annis venerationi juvenes adsuescant; ut enim *non dicam*, diutius exercitium firmius animo hærere; ut *non dicam*, ætatem illam & indigere aliena directione & admittere illam facilius; ut *non dicam*, acquiri habitum ante, quam contrariæ tentationes id exercitium reddant difficile; ut *non dicam*, esse illud exercitium vel ideo facile, quod benefactoribus obtemperare, hoc est, præcipue parentibus obsequi, quam maxime æquum & naturale videatur; ut *non dicam*, evitari eo facto fratrum & familiarum divisiones & discordias, & perniciem, & quæ sunt similia : *hoc unum dico*; eum, qui parentes colat, colere illos quoque & venerari, & obsequio prosequi suo, quos videat a parentibus coli suis. Ita enim homines solent, eodem alios affectu prosequi, quo vident eosdem respici ab iis, quos magni faciunt ipsi, & venerantur & amant. *Nihil* in hoc argumento & sententia *novum* esse arbitror, aut minus vulgare; *Utinam* ejus consequentia forent æque communia, neque protrita vulgo parentum dignitas gradum ad con-

conculcandam Magiſtratuum autoritatem civibus dudum præparaſſet!

§. 139.

Scio, quid hic in mentem venire Lectoribus poſſit, eſſe hoc præceptum *cautioni* ſubjectum; *aliquando* nimiam eſſe poſſe parentum exiſtimationem apud liberos. Quid enim? ſi malis moribus parentes indulgeant? quam profunda imitationis ſemina liberis imprimet exemplum in tanta veneratione habitum! quam difficulter illius vim infringere dabitur, & contrarios exemplo majorum habitus perſuadere! *Duplex* huic difficultati *reſponſio* debetur: *Pro Sinis* audi *Bernierium*; * de noſtris moribus ipſe dicam. *Sic ille* „Sapienter vero rebus providit DEUS! Accidit etiam, ut non virtuoſus Pater, ſed filii naturaliter amans, eundem inſtituat ad virtutem. Sed vero qui fieri poteſt, ut vitiis Pater indulgeat, ea in Civitate, in qua unusquisque ſic educatur, ut a juventute animum virtutis exiſtimatione, amore, reverentia, modeſtiaque & ſubmiſſione plenum induat, excitatus exemplo Parentis, Avi, Cognatorum, vicinorumque, & Patrum familias omnium, quos Solvitur objectio.

L 2 ipſi

* Eſt locus in Ephemeridibus Gallorum, *Journal des Savans*, ad A. 1688. 7. Junii. p. 29. 30. edit. Amſtelod.

ipſi cognoſcere datum eſt? Nonne hereditaria unicuique familiæ virtus erit, & a majoribus ad poſteros tranſibit ordine non interrupto? „*Elegans* vero hæc ad objectionem *reſponſio* eſt, ſed ad Civitatem pertinet *bene conſtitutam*, aut erigendam noviter a virtuoſis. Sentio, quam id *non ubique* introduci poſſit inſtitutum. Poſſes, niſi copia obrueret, mirari, Viros Religioſos & de generali morum corruptione triſtia quidem, ſed juſta, conquerentes *illud* argumentum non attingere frequentius, & urgere; argumentum, inquam, *quo monemur*, tantam eſſe hominum in præceps-ruentium malitiam, ut inſtitutorum etiam optimorum, quale hic recenſuimus, *introductionem conari* vix (an ne vix quidem?) liceat. Non attendo hic repugnantiam eorum, qui ab aliis ſumere virtutum exempla tenerentur, liberi a parentibus, a ſenioribus juniores, a Magiſtratu Cives &c. Hoc quæro, *qualis ille* rerum ſtatus eſt, *in quo* ſubdubitare ſapientes poſſint, *an expediat* maximam liberis erga majores venerationem inculcare? in quo videas, proſtare tot ſcelerum exempla, a majoribus poſita, & imitatione exprimi poſterorum, ut *periculum* ſubeat, *qui* præceptum ex omnibus maxime rationi conveniens, & in *parentum reverentia* atque imitatione poſitum, commendaverit ſine

ne limitationibus & cautelis numerose additis. Sunt *plura* hujusmodi instituta, utilissimaque eadem & honestissima, quæ dubites, an reduci per præsentem rerum faciem aut liceat, aut ea perdurante conveniat? Sed vero in generales querimonias hic non effundimur: maneamus in consideratione Philosophica familiæ.

§. 140.

Fructus Theoriæ de Origine Civitatum.

Sumus vero *nos Europæi* homines vehementer *Theoretici*, quibus non desunt *explicationes* rerum ingeniosæ; desunt *applicationes* ingenuæ. Diu est, quod Philosophi nostrates *originem Imperiorum* e familiis, ut illi vocant, segregibus derivare consueverunt; Philosophica quidem conjectura, non pro veritate historica: Neque tamen eo facto pellecti sunt, ut magistratuum quoque & Parentum sive officia, sive jura inter se connecterent. Aliter *Sinæ*, quorum id præ ceteris illustre est prudentiæ specimen, quod officia & jura Parentum ita temperent, ut publicis adversus magistratum officiis exquisite subserviant. Nimirum *Paterfamilias* est quidam domi suæ Imperans: *Imperator* est universorum Pater. *Illius* tanta est inter suos autoritas, dignitas & veneratio, ut jubar aliquod majestatis habere videatur: *Hujus* tanta in suos clementia, tam tener affectus, ut Pater-

num is animum haud fallaci indicio significet. Specimina utriusque dicti in sequentibus edam: *Hic* eo libet respicere, ut conjiciam *ejus prudentiæ originem* & causas.

§. 141.

Videtur mihi, inter *antiquos Sinas* ipso facto *accidisse*, quod nostri theoretice Philosophi tradunt, ut segreges familiæ sensim coaluerint in regna, eoque & Patrumfamilias magna manserit autoritas & cum Magistratibus similitudo propinquior. *Conjecturæ* meæ *has causas* habeo. *Antiqua* est adeo forma regiminis, ut Sinensium Annalium fide Legislatores Gentis, iidemque regiminis fundatores proxime diluvium accedant Noachicum; * Attingit igitur antiquitas politiæ

* Juxta Chronologiam quidem Græcam Interpretum septuaginta duorum: Superant enim, si Codicem Nostrum Masoreticum sequi velimus. Annalium Sinicorum fide refertur *Fo hi* conditor Imperii ad Annum 2952. ante Christum Natum, & exhibetur series Imperatorum inde ab Anno ante Chr. N. 2697. non interrupta ab *Hoam ti* ad præsentem & amplissimi Imperii Moderatorem. Masoretici vero Codicis designatio non supra Annos 2292. ad Christi nativitatem numerat a Diluvio. *Non ego* pro fide illorum Annalium laboro, refero verba ephemeridum Gallicarum, *Journal des Savans*, ad A. 1688. 12. Julii, ubi Novam de China Relationem R. P. *Magailiani* recensentes, p. 166. ita Diarii Autores loquuntur: „Leur Empire, (de Sinis

litiæ *id tempus, quo* diſperſæ adhuc familiæ, & ſegreges haud paucæ fuerunt : ſucceſſu temporis coituræ, quod vel vi adigerentur minores, vel ſponte homines accederent, pellecti placida aliarum gubernatione. Nimirum, ut ſilentio involvam, orientis extremi incolas a barbara & agreſti vita ad humanitatem paulatim reductos memorari a Conditore Gentis *Fo hi*, unicum illud e certiori Sinarum Hiſtoria allegabo. Quod noſtri ſuſpicantur, fore, ut, ſi quæ præ ceteris familiæ tranquille & pacifice & abundanter viverent, aliæ illis ſua ſponte ſe adjungerent: Id *Sinica* factum teſtatur *Chronologia*; cujus fide conſtat, cum Imperans clementer, juſteque & pacifice regnum adminiſtraverit, pluri-

nis ſermo eſt) eſt ſi ancien, que l'on rapporte ſon commencement à deux cens ans aprés le Déluge. Cette opinion eſt ſi bien établie *dans la Chine*, qu' il ſeroit dangereux de l'y revoquer en doute: & ce fut pour cela, que les *Jeſuites Miſſionaires* obtinrent du *Pape* la permiſſion de ſuivre la verſion des Septante, differente en ce point de la vulgate, & du Texte Hebreu. „ Sequitur vero & commendat eundem difficultates iſtas ſolvendi modum & *Bernierus*, allegatis etiam de Imperatorum Sinicorum ſerie verbis R. P. Martinii, quod *de ea ne dubitari quidem poſſit*. vid. Journal des Savans A. 1688. 7. Junii p. 25.

ma aliquoties * regna ſponte ſe illius fidei tradidiſſe. *Non* poteſt id intelligi *de regnis*, *qualia* hodie Sinenſes habent ampliſſima: reſtringendum potius ad vicos aut pagos, aut oppida, e familiis ſegregibus conflata. Id igitur ſi recte conjicio: facilis ſuſpicio eſt, *unde* illa *officiorum* Patris & Principis *contemperatio*? unde ſubordinatio? unde Parentum autoritas? unde Principum temeritudo? unde fides civium? unde flos Imperii? quis non congratuletur Imperio, in quo cives fratrum, Imperans Parentum, ſubditi filiorum locum occupent, & officia expleant? Num hæc eſt exquiſita originis Civitatum (non theoria, ſed) applicatio? Veniamus ad ſpecialia, quousque hic licet, de familiis præcepta.

§. 142.

Officium Conjugum.

Conjugum officia naturali ordine præmittam debitis Parentum erga filios, filiorum erga Parentes, & fratrum inter ſeſe officiis. *Generale* eſt, quod ſupra retuli,

* Memini, me aliquando 40. aliquando 75. ejusmodi regna in clientelam Sinenſem ſponte concedentia legere. Sed vero cum locus jam non ſuccurrat ſcribenti, dabo alium, qui indeterminate loquitur. Ad L. I. fol. 21. ita Editores inter cetera Legislatoris Xún encomia: Certe Annalium teſtimonio conſtat, quam plurima Barbarorum Regna, & populos tam fortunati Principis fama commotos illi ſeſe ultro ſubjeciſſe. „

tuli, maritum inter & uxorem, debita a reliquis distinctio: fidem ita exprimi conjugalem facile agnoscas. Accedit modestia & verecundia & concordia. Ejus rei hæc specimina deprehendi in libellis Classicis: *Turpe* est, cum conjuge eodem curru considere. *Turpe* est, uxorem repudiare. *Turpe* est ducere uxorem ejusdem cognomenti, & quæ sunt similia. Succurrit memoriæ exemplum fidei conjugalis recentius quidem, sed plane Heroicum, cui & Imperator Tai çu, seculo decimo quarto exeunte regnans, monumentum erigi curavit.

Ita autem *Phil. Coupletus* in Tab. Chronologica Impp. fol. 79. sub eodem Imperatore: „Inciderat in latrones cum uxore & Patre quidam *Sui* dictus: Parantibus senem interficere, filius vitam pro paterna obtulit: eisdem vero vim nuptæ parantibus inferre, *at*, inquit illa, *nefas hoc marito superstite.* In ignem igitur paratum præcipitant juvenem, quod conspicata mulier, in eundem se præcipitat, ibique maritum complexa abit in cineres. Huic fidei & pietati illustre monumentum erigi curat Imperator, qui & castigat insanam alterius pietatem, qui ut ægrotanti matri valetudinem ab idolo exoraret, proprium ei filiolum sacrificaverat.„

§. 143.

Officia recens Nuptæ. Officia *recens nuptæ* illa Philosophus enumerat; *parentibus* mariti observantiam, pacem *cognatis*, obedientiam *marito*, benevolentiam *inferioribus* & curam debet ita, ut universa domus ejus exemplo bene ordinata sit & composita.

L. I. fol. 23. „Carmen ait: malus persica cum ineunte vere, o quam pulcra! o quam amœna! *talis* est sponsa seu *recens nupta*, cum transit in domum sponsi, *ubi*, quod convenit, præstat suis domesticis, singulis, quod suum est, tribuens, mariti sc. parentibus observantiam, pacem cognatis, marito obedientiam, benevolentiam inferioribus & curam; ex quo illud vicissim consequitur, ut omnes ac singuli ejus domestici tam erga ipsam, quam ad invicem debite item se habeant; adeoque domus tota ejus unius exemplo bene ordinata sit & composita.„ Idemque de L. II. f. 49. confirmat alio Carminum testimonio. Oda ait: „Ubi uxor tua est amans concordiæ, ibi *familia* est *instar pulsantis Cymbala*, suavissima illa domesticæ pacis, mutuæque concordiæ voluptate perfruens: Rursus fratres natu majores & minores ubi concordant, horum concordiæ gaudium utique diu perseverat, dimanans perpetuo in filios & nepotes. Atque ita & recte ordinatur Tua dome-

mestica familia, insuper exhilaratur & Tua Uxor, & filii & nepotes.,,

§. 144.

Cuinam elocanda sit uxor, Confucii exemplo declaratum video. Assero id pro curiositate: neque enim spero plurimos exemplum secuturos esse. Cui elocanda uxor.

Libri III. Pars III. fol. 18. sic incipit: ,,Confucius dicebat de discipulo suo, *Cum ye cham*: *Convenit ei* uxorem dare, quippe *viro* plane integro & *maturæ* solidæque *virtutis*. Nam, tametsi sit inter atro fune vinctos, id est, carceri mancipatos; id tamen accidit aliena culpa calumniantis innocentem, non accidit ipsius culpa. *Confucius* itaque suam ei filiam nuptui dedit. Iterum Confucius de *Nan yum* discipulo suo: Vir hic est *raræ prudentiæ*, & solidæ adultæque *virtutis*; itaque si in regno vigeant virtutes ac leges, ipse non negligitur, sed ad regni munia adhibetur. Si vero regnum sit sine virtute & legibus, tum sua prudentia servat se ab interitu & periculis incolumem. *Propterea* Confucius sui fratris filiam ei in uxorem dedit. Confer etiam superius §. 113.

§. 145.

De Parentum officiis Philosophi Sinæ breviter *multa* præcipiunt. Omnia vertuntur eo, ut *exempla virtutum* filiis præeant, *neque* amore cœci eorundem *vitiis* in- Officia Parentum.

indulgeant, sed eosdem & corripiant, & doceant. Primum aliquoties jam admonuimus: de secundo autem

L. I. fol. 17. sic lege: ,,Homines in illis, quos propinquitatis amore diligunt, mox a recto deflectunt, dum plus vel minus, quam par est, diligunt. Parentes enim ac propinqui diligendi quidem sunt, si tamen Patrem delinquere in aliquo contigerit, monendus est a filio de delicto: sed & *si filius peccaverit*, corripiendus a Patre est & docendus. Quod si horum alteruter, *non quo* recta *ratio*, sed quo *sanguis* & affectus trahunt, inclinet: illius utique amor non rectus, sed curvus quodammodo est, quia a rectæ rationis Regula descifcens - - - - propterea, qui ament alios, simulque noverint, nec dissimulent eorundem vitia, vel contra aversentur, simulque noverint & observent eorundem bona, in orbe rari sunt. Hinc *proverbium* datur, quod ait: homines amore cœci non agnoscunt, nec vident suorum filiorum vitia; & fascinante eos avaritia, non norunt sui proprii agri fertilitatem.,,

§. 146.

Cur ita breviter exponatur? Postulabunt fortasse nostrates, ut, quoniam in hoc officio momentum Sinæ magnum collocant, specialiter illa, aut prolixe etiam enarrentur. Persuadeo mihi,

hi, non deesse illis consilia quoque specialia, in Memcio, aut in Libris officiorum obvia. Nescio etiam, an eo referri debeat, quod in Tabula Chronologica refertur ad Annum Christi 1482. ubi dicitur adventasse a Regulo *Fuen cheu* Legationem, quæ monumenta Librorum de obedientia & recto regimine postulaverit? Inter documenta Confucii, tribus primis Libris classicis comprehensa, non deprehendo nisi generalia. Sic L. I. fol. 9. legitur:

„Cum præcipua Patris virtus sit amor erga filios ex piis visceribus profluens: *Ven vam* agens Patrem sistebat in hoc filiorum amore; quem prodebat identidem non indulgentia quadam vitiosa, sed assidua ad omnem virtutem institutione, quæ adeo ad nepotes, horumque deinde filios feliciter propagata est. „

Num ea omissionis ratio est, quod exemplum unusquisque a majoribus sumere posset, inchoatum a Legislatoribus, atque ad posteros propagatum? Num sufficit Amor naturalis serio virtutis studio conjunctus, excitatus, adjutus, restrictus, correctus? Num illa negotio præcepta sufficiunt, quæ inculcavimus Doctoribus, Sinarum exemplo? Num sufficit Parentes ingerere liberis præcepta, quæ largiori manu ipsis Philosophum præscribere, illico intelliges?

§. 147.

§. 147.

Officia Liberorum in summa quadam.

Filiorum sane *adversus Parentes* officia, sive obedientiam haud raro philosophus describit. non eodem modo tamen, etsi sensu perquam consimili. Consueverat nimirum attemperare responsa moribus quærentium. Vivis vult morem gerere filios, & servire debitis officiis, *mortuos* lugere per triennium, & quotannis colere debito ritu atque apparatu; *injusta præcipientibus* negat parendum esse; ait, cavendum, *ne dolore* afficiantur *ex vitiis* filiorum; *alendos* esse non promte solum, sed & *cum reverentia* & amore filiali; *obedientiam* præstandam esse *ex animo*, constanter, & cum alacritate, præstandam esse *morosis quoque* & asperis; *monendos* esse reprobos, sed plurima *cum cautela* & veneratione; *non abeundum* longius *sine* parentum *notitia*, ut, cum opera liberorum utilis esse queat parentibus, facile præsto esse possint; *à majorum* & parentum *institutis* non facile deflectendum esse &c.

§. 148.

Quomodo alendi Parentes?

Dabimus *aliqua* ex illis, quæ nostros maxime mores condemnant. Rarum est ali parentes a liberis, quod Confucius tamen ideo parvi pendit præ obedientia, quod etiam brutis exhiberi illud officium possit; neque adeo, si amor atque honor filialis desit, discrimen interce-

tercedat inter sustentationem *Patris*, & *domestici canis* vel equi. *Quæ* hæc *sententia* est in auribus *Europæis!* Quis *nostrûm* ita philosophari audet?

L. III. P. I. fol. 12. Confucius ait: „Hac ætate nostra *obedientes* vulgo *ii* dicuntur, *qui* possunt *alere parentes* suos: sed profecto, *si nihil præterea* requiritur, a brutis quoque animantibus obedientis nomen ac laudem petere quis poterit; quippe si agamus de canibus & equis, hi quoque omnes possunt habere, qui eos alant. Atque adeo, *si desit reverentia*; *si*, inquam, cura illa sustentandorum parentum *non ab amore* proficiscatur & honore filiali. Ecquid erit, *unde* [illegible]tatur *discrimen* inter sustentationem *patris* & domestici *canis* vel *equi* ?

§. 149.

Vulgatior doctrina est e *Christianorum* Legibus, ubi *factis animum* & obedientiæ alacritatem adjungendam esse; ubi *morosis quoque* & asperis obtemperandum esse, Confucius præcipit. Utriusque specimina hæc præsto sunt.

Obedientia ex animo, & morosis præstanda.

L. III. P. I. fol. 12. Confucius respondet: oris alacritas, sive *constans alacritas* illa filialis observantiæ, quæ adeo in ipsa fronte totoque ore amantis ac reverentis filii eluceat, difficilis est illa quidem, sed profecto *nota* prope *certa* veræ ger-

manæ-

manæque *virtutis.* *Obſequia* quippe domeſtica præſtare filii quoque *inviti* atque inobedientes poſſunt: uti, cum domi quidpiam eſt faciendum, fratres natu minores ac filii familias utique ſubeunt majorum loco id, quod laborioſius eſt; rurſus cum ſuppetant vina & dapes, tunc procul dubio tam parentibus, quam fratribus majoribus natu minores officioſe miniſtrant epulas: ſed hi *an idcirco* ſtatim cenſeantur obedientes eſſe? Enim vero *ſi non* hæc *promte,* conſtanter, & cum alacritate quadam animi corporisque præſtiterint, obedientiæ veræ nomen ac numeros haudquaquam impleverint.„ Alterum præceptum eſt L. III. P.II. fol.16.17. ubi Confucius ait: „*Filius conſtanter* morem gerat, *ſerviatque* Patri & Matri. Si tamen ab eis forte peccaretur, *leniter* ac pedetentim *commoneat.* Quod ſi viderit, eo eſſe animo parentes, ut non obſequantur monenti: *ſuperſedeat,* iterumque ſolita prodat obſervantiæ argumenta; & *nequaquam* verbo vel facto eis *adverſetur.* Quod ſi etiam *laboribus* moleſtiisque, imo etiam *verberibus* obruant ipſum, caſtigentque; eis tamen haud quaquam ſuccenſeat filius.„

§. 150.

Exemplum perfecte elegans.

Jucundum eſt facti *exemplum*, quod de diſcipulo aliquo Confucii Annales memo-

morant, commendato propter obedientiam ab ipso etiam Confucio L. III. P. VI. fol. 70. „*Mim çu Kien* nomen est homini prorsus laudabili. Matrem ille amiserat infans prope, duxeratque Pater uxorem alteram. Ex ea nati sunt duo filii, quos illa fovit ut mater, & adversus brumæ asperitatem suffultis gossypio vestibus muniit, privignum interim, ut noverca negligens. Eum forte pater brumali die jusserat currum agere: quando male amictus puer tantum non obriguit frigore. Pater cognita rei causa indignabundus statuit uxorem domo ejicere: quod animadvertens *pius filius*, supplex & cum lacrimis: *Parce*, inquit, *o genitor, parce matri, ut parcas filiis: Hac enim si maneat, ego duntaxat unus patiar incommodi quidpiam; at si dimittitur, jam tres omnino filii plurimum patiemur.* Fregit amoris illa vox iram patris, & ex noverca matrem fecit.

§. 151.

Quanta esse debeat cura liberorum in observantia sua erga Parentes, arbitror etiam *ex minutiis* intelligi, ad quas illam philosophus extendit; cujusmodi sunt, quando postulat, ut filius subinde ætatem reminiscatur Parentum, partim scil. ut lætetur, partim ut pertimescat: intelligi *ex tempore*, ad quod obedientiam extendit, etiam post obitum parentis. Sollicitudo in observantia Parentum.

L. III. P. II. fol. 17. „Patris & Matris *annos* seu ætatem probus ac pius filius assidue reminisci debet, non potest citra culpam ignorare, partim ut lætetur ipse, partim ut pertimescat.„ Atque *eodem loco.* „quisquis parentibus vita jam functis totos tres annos non discesserit a patrio more & instituto, is poterit nuncupari obediens: „ atque *iterum* : „quamdiu Pater & mater superstites sunt, filius ne longius seu in longinquiores terras evagetur. Veruntamen si gravis quæpiam necessitas longius proficisci coëgerit, sciant omnino Parentes, ubi terrarum filius versetur ? „

§. 152.

Superstitio intercurrens.

Non tamen illud nego, *superstitiosius* videri, quod de cura membrorum corporis habetur inter Sinica quoque monumenta. *Præceptum* enim *antiqui carminis,* quo dicitur:

„ Esto timens ac pavidus, solicitus & cautus, ad instar appropinquantis profundo rapidoque fluminis alveo, vel ad instar calcantis tenuem glaciem, ne quidpiam committas, quod parentes contristet, vel offendat.„

eousque *Cemcius* , Confucii discipulus & commentator extendit, ut moribundus pedes atque manus ostenderit convocatis suæ scholæ discipulis, hoc dicto:

„Agite,

„ Agite, retegite meos pedes, retegite meas manus: quæ a parentibus acceperam ſana, quoad potui, integraque conſervavi, quo promtius ea diutiusque in eorundem obſequium impenderem. Id me docuit Odarum liber, dum ait: eſto timens &c. „

Poteſt *hoc* tamen *excuſari*, poteſt *etiam commendari: Illud*, credo, miſerum videbitur, quod eodem argumento multi, Tartaro imperante, maluerint aquis aut laqueo ſuffocari, quam Capillitium amittere; *ineptum* quoque illud, quod *honoratius* putent Sinæ, *laqueo* vitam finire, quam *Capite minui*, quod intolerabile ſit, ad Patres ſuos & majores remeare absque capite, & hoc opprobrio manes patrios affligere, ſeſeque reos ſiſtere tam nefandi criminis, cujus cauſſa corpus, quod a Parentibus integrum acceperunt, *Acephalorum* inſtar mutilum & truncatum iis ſpectandum offerre cogantur. vide L. III. P. IV. fol. 48.

§. 153.

Officia Adoleſcentum.

Uno denique faſciculo collecta *adoleſcentum officia* L. III. P. I. enumerat Confucius *ſequentia*: obedientiam erga Parentes, obſervantiam in majores natu, propinquos, conſanguineos, cives & populares quoscunque, præcipue bonos & probatiſſimos quosque, conſtantiam & prudentiam in ſuſcipiendis negotiis,

amor universalis erga omnes; Tum vero præstitis iis, si otium suppetat & facultates, Literarum studia, & in odarum libris diligentiam. *Applaudo* sane *inverso ordini*; nostris moribus literæ, eædemque succo utplurimum vacuæ adolescentes occupant; discendæ sunt linguæ, ex omnium hominum usu & negotiis gravibus rejectæ; oneranda est præceptis, nihil ad usum civilem pertinentibus, memoria, judicium negligitur, virtutis studium aliquando ne attingitur quidem. *Utri rectius*? Confucius cum suis, literas tum demum admittentibus aut commendantibus, cum virtuti prospectum est? an Europæi, neglecta aut obiter attenta aut mulierculis commissa, aut in formulis posita virtutis cura literis tenerum animum, iisdemque sæpenumero inutilibus, haud raro periculosis, admoventes atque imbuentes?

Audiamus Philosophum L. III. P. I. fol. 4.

„ Fratres natu minores ac filiifamilias, si *intro* seu domi suæ degunt, tum quidem *obediant*, serviantque parentibus, quanta possunt contentione tam animi, quam corporis. Si autem sint *foris*, tum observent *majores natu* propinquos suos, & consanguineos, cives item ac populares, iisque sua præstent obsequia. Si quid operis negotiique suscipiant, *con-*

stantiam afferant, cœptaque perficiant; proinde maxime semper *attendant* principio & fini cujusque operis; atque adeo veraces & sinceri quoque sint, sibique constent in operibus suis. Amplo quodam & *universali amore* diligant omnes, *cum omnibus* pacem colant: *sic* tamen, *ut arctiori* * quodam vinculo benevolentiæ & familiaritatis jungantur optimis quibusque Viris ac probatissimis. Et *hæc* quidem sunt adolescentum officia *maxime necessaria*: quibus exacte præstitis, si suppetat eis pauxillum otii ac virium; *tum* laudabiliter adhibebunt illas *in* addiscendis *literis* & mandandis memoriæ ** priscorum Sapientum, Ma-

* Obiter admoneo hic refutari duplicem in *Sina* sectam, quarum altera omnes æqualiter amandos esse præcepit, altera negavit attendendos esse alios juxta sese homines, aut eorundem rationem habendam. Confucii tempore utraque exorta est, altera *Me* dicta, *Yam* altera. Sic enim lego in Tabula Chronologica ad An. 597. ante Chr. N. fol. 13. „Circa hæc tempora hæreses ortæ *Yam* & *Me*. Hic docet omnes æqualiter amandos, nullo ne Parentum quidem discrimine; *Yam* curam sui duntaxat habendam, ne Regis quidem ratione habita.„

** Velim, attendant Lectores nostri ad hunc ordinem. Non ego meum interpono judicium, quoniam id breviter exponi & demonstrari non potest. Judicet per seipsum unusquisque: *utri* rectius? *Nostri*, cum institutioni & exercitationi virtutis omni præmittunt ea, quæ non intellecta memoriæ mandantur? an *Sina*, qui intelligere prius, & exercere

Majorum nostrorum, odis, quibus egregia plane documenta cujusvis ætatis institutioni, sed imprimis adolescentiæ, perapposita continentur. „

§. 154.

Respondetur objectioni. Atque ut *ne rudes* ejusmodi adolescentes fore quis exprobret, & doctos postulet magis, quam virtute præditos: discipulus eodem loco scrupulum hoc ordine eximit, ut *ejusmodi juvenem*, cui facultas non sit colendi literas, qui tamen obtineat, exerceatque virtutes memoratas, omnino studuisse & *praclare doctum* esse pronunciet.

Ita

---

cere malunt virtutum documenta, quam imprimere memoriæ? An *soli* juvenes valeat memoria? an specie saltim externa decipimur, qui solam verborum quorundam recitationem continuo ordine factam putamus esse opus memoriæ? An *sola* valent memoria juvenes? an ceteris quoque facultatibus, si exerceantur illæ, & conformiter circumstantiis? An *tanti est* memoriter aliqua recitare, etiam non intellecta, ut æquivaleat exercitationi virtutum, etiam illarum solum, quæ cadunt in tenellos animos? An *tantus* ille *fructus* est, quem ex nostro more percipimus, quantus foret ex eodem inverso, aut correcto saltim? sunt hæ quæstiones, nisi fallor, utiles; quibus attendere sit operæ pretium. Neque enim dubito, multa hic negligi ex ignorantia metaphysicæ, hoc est verioris, distinctioris que de Anima humana doctrinæ. Transeant autem illa hoc loco.

Ita autem citato loco fol. 5. *Cu hia*, discipulus Confucii: „*Si* delectetur *quis* Viris probis ac sapientibus sic, ut commutet & quasi transferat in hos amorem, quo ferri solet in res visu pulcras & delectabiles; *Item* in præstando probi filii officio tam erga patrem, quam matrem, si valeat, seu velit & conetur exhaurire vires suas; *adhac*, si debita subditi officia sic præstet adversus suum Regem aut Principem, ut valeat, sive non dubitet exponere propriam quoque personam ac vitam, quotiescunque res ita postulaverit; *Denique* cum sodalibus & amicis suis vivens familiariter, *si* tales instituat sermones, ut ubique locum habeat fides ipsius ac veracitas: *quisquis hujusmodi fuerit*, tametsi forte sint, qui dicant, eum necdum studuisse, *ego* certe semper & sentiam, & dicam *eum* studuisse, & *praclare* quidem esse *doctum.*

§. 155.

Inter *remedia* plantandæ obedientiæ & reverentiæ ergaParentes illa veneror præcipue, *quod ad dignitates* & Magistratum aditus *nemini* pateat, qui non ante luculenta obedientiæ testimonia parentibus exhibuerit: *quod obedientia præmium* aliquando vel ipsum Imperium fuerit, plerumque autem sit elevatio ad honores & munia; *quod* in ipsa familia domesti- **Media inculcandæ Obedientiæ.**

ca constitutis anni cujusque diebus, *natalitiis* v. g. Parentum, liberi eosdem graviter & cum Majestate stantes adire tenentur humiliter, coram illis prosterni aliquoties, facie in terram demissa, modestiam suam testaturi; & observantiam, & amorem, & reverentiam animi intimam; *quod ægris* assistere teneantur, atque ipsi *per sese* officia præstare, neglectis etiam negotiis privatis, adeo quidem, ut neque longius abesse sine Parentum venia liceat, ne forte, cum opus est, operam suam in juvandis parentibus collocare prohibeantur; *quod mortuos* lugere *per triennium* teneantur, & modo, quem nostri, scio, *impossibilem* judicarent, nisi exempla prostarent luculentissima.

§. 156.

Descriptio Luctus Sinici. Scilicet eousque Sinæ progrediebantur antiqui, ut *per* integrum *triennium abessent publico:* dignitatibus sese abdicarent suis; domo non excederent; conclavia atque utensilia omnia permutarent in simpliciora, exulare jusso ornatu; nonnisi humilibus sellis considerent; neque vinum biberent, neque cibis vescerentur delicatioribus, leguminibus contenti; vestibus uterentur crassioribus, albi coloris tanquam luctui inter ipsos significando destinati; lectis abstinerent tenerioribus; sermonem ipsum fletibus intermistum tristitiæ testandæ accommoda-

darent; neque alia sui appellatione uterentur, quam *miserorum ingratorumque filiorum*, qui sua pietate adeo non promeruerint parentum longævitatem, ut potius negligentia sua & delictis fata illorum præcipitaverint; denique ut quotannis stato die, Parentum emortuali funerum repetitio luctuosa fieret, ceremoniis iisdem atque ad id officium universa familia congregaretur, demortuis quasi præsentibus & vivis honor atque cultus exhiberetur magna cum observantia, recitatis eorundem factis, expositis eorum vestibus, vasis, instrumentis, insignibus & similibus, adhibitis quoque ritibus & Musica, quibus defuncti olim usi fuerant &c. * *quæ* sane *omnia* sunt ejusmodi, ut *venerationem* Parentum non *testentur* solum, sed quam maxime *ingenerent*, & quasi per continuam a majoribus traditionem in posteros *propagent*.

§. 157.

Dabimus aliqua Viri Philosophi verba ex more nostro; ut intelligatur, *a lu-* Luctus Triennii Universalis in obitu Parentum.

* Transtuli hæc, compendio exhibita, ex Ephemeridibus Gallorum, *Journal des Savans* 1688. p. 31. 32. ubi *Bernierius* brevem hanc luctus descriptionem exhibet. *Prolixior* locus est apud Confucium, L. II. *Scientiæ Sinicæ* fol. 55. 58. quam ut hic exhiberi debeat; neque is omnia complectitur, ex aliis adjungenda diffusius.

ctu triennali neminem fuiſſe exceptum, adeo quidem, ut *Imperii ſucceſſor* eo tempore in hortos aut ſolitudinem ſecederet, imperandi regulas a Tutore aut ſapientibus interea edocendus.

L. II. fol. 56. „In obitu *Patris* aut *matris triennii* luctus pertingebat *ad ipſum* usque *Imperatorem*. Et in hoc Patris ac Matris triennali luctu non habebatur diſtinctio nobilis ab ignobili, ſed *una* eademque erat *omnium ratio*; quia quæ parentes promeriti ſunt de filiis, & quæ filii viciſſim debent parentibus, ſunt in omnibus paria, & eodem pretio æſtimanda„

§. 158.

An ſufficiat Luctus Annuus; diſputatio Diſcipuli & Magiſtri.

Cumque alibi *diſcipulus Çaj ngo* noviter introductum *annui* tantum *luctus ritum* in quæſtione ad Magiſtrum *argumentis defendere* aliquibus niteretur, quod remoti ab officiis civilibus per triennium ipſa deſuetudine poſthac inidonei futuri ſint; quod muſicam per triennium non exercentes, ipſam dediſcant: quod ipſa rerum natura plurimarum rerum principium & finem annuo ſpatio definiat, & tunc novas protrudat & prioribus ſubſtituat: Magiſter illi antiquitatem opponit, & Majorum leges, & conſcientiæ morſus in hunc modum: L. III. P. IX. fol. 130. 131.

„*Veteres* quidem *officiorum* & rituum libri præ-

præscribunt filiis, ut in funere parentum per tres annos vescantur oriza admodum vulgari & male purgata, potent aquam, cannabina veste, aspera sc. & humili utantur. Tu nunc unico igitur exacto anno quando jam luctum abjeceris vescens denuo alia illa puriore oriza, denuo indutus aliam vestem sericeam & pretiosam, *an* tu *tranquillo eris animo?* non Te cruciabit *conscientia* neglectæ pietatis?,,

Discipulo autem, se tranquillo animo fore assèveranti, contrarium testatur de Viro probo & sapienti Magister Confucius.

„*Viro probo* ac sapienti, versanti *in luctu* & sordibus propter amissos parentes, vescenti licet *opiparis* & deliciosis *dapibus*, non tamen eæ dulcescunt ac sapiunt. Idem audiens forte *concentum Musicum*, sic eo non delectatur, atque si non audiret. Idem quamvis molliter ac *deliciose cubans*, non tamen ullam capit quietem. Tanta pii mœroris vis est: tantum, tamque perenne optimorum parentum desiderium. Quocirca *nunquam* committet, ut *contrahat* lugendi spatium a majoribus constitutum: Nunc autem tu, quando sustines id facere, fac sane, quod libitum fuerit.,,

Egresso deinde discipulo, *rationem di-*

cti

cti ceteris exponit, & *a parentum cura triennali* triennalem quoque luctum derivat: prolem enim natam & fotam per tres annos, eximi demum & Patris matrisque sinu testatur.

„Discipulus *Yu* * non est vera germanaque virtute præditus, quando statuit, tam facile mores antiquos negligi posse & *instituta majorum* violari, quæ tamen videntur *consentanea* naturæ legibus atque *rationi*. Etenim proles nata & fota per tres annos, deinceps eximitur e Patris matrisque sinu: quid ergo justius, quam ut *amori* trium annorum totidem quoque annorum pietate & *luctu* liberi respondeant? Hic certe trium annorum luctus & maxime vetustus est, & per Imperium totum vulgatus, & usitatus luctus. An forte *Yu* discipulus perceperit quoque trium annorum curam & amorem a suis parentibus, uti reliqui mortalium, quod adeo patrocinetur huic novitati & errores tueatur ætatis nostræ?„

§. 159.

In funeribus quid cavendum? quid sectandum?

In ipsis *Parentum funeribus* damnat *parsimoniam*; damnat vero *& vanitatem*: luctum postulat *internum* præcipue, & in ritibus *gravitatem*.

Testimonium est L. III. P. X. fol. 142. 143.

Ju-

* Idem est, qui & *Çai ngo* vocatur.

„*Justa* dum persolvuntur *mortuis*, maxime quidem parentibus, pius filiorum luctus penitus exerat sese in *vehementi* quadam *commiseratione*, intimoque sensu animi lugentis ac desiderantis amissos parentes; & *sistant hic* filii, nec magnopere laborent, tametsi ad luxum & apparatum ætatis nostræ, in quo sæpe plus est vanitatis, quam pietatis, copiæ non suppetant.„

§. 160.

Subordinationem autem in ritibus parentalibus *exactam* postulat, atque in suorum quoque funeribus accurate attendit, ab aliis neglectam graviter perstringit. Subordinatione in ritibus.

Exemplum facti hoc esto: L. III. P. II. fol. 5. „Confucius ait: Quotiescunque peragitur gravis ille ritus *Ti* dictus, qui proprius est Imperatorum, & quo solent hi quinto quoque anno in parentali majorum suorum aula honorare familiæ conditorem, & qui ex illo deinde prognati sunt Imperatores: Etsi principio satis graviter & rite multa fiant; ubi tamen jam vinum novies de more oblatum est, novies item libatum, quicquid deinceps agitur, quia oscitanter agitur & exigua cum reverentia ego, quidem non aveo vel gaudeo spectare, tametsi ratione officii mei cogar assistere. Verum quod hic omnium maxime mihi displicet, est, quod honores illos solis

solis Imperatoribus debitos, & uni *Cheu cum* quamvis regulo tantum ab Imperatore *Chim Vam* Nepote propter eximia prorsus Viri in totum Imperium merita concessos;) *nunc* videam *aliis* quoque regulis ejusdem *Cheu cum* posteris deferri, *contra jus* omne, moremque Imperii.

§. 161.

De Natura & Fine Cultus Parentalis.

Longum foret enumerare *ritus* in ejusmodi parentalibus sacris adhiberi solitos: sufficit indicare breviter, *tales fuisse*, ut reverentiam testarentur atque propagarent. Scio quid inter Europæos ex longo tempore litigatum sit, de cultu Parentum inter Sinas usitato; de cultu item Confucii ipsius, Magistri sapientiæ. Ex documentis, * quæ vidi, *Civilem*

* Sunt hæc scripta RR. PP. a Societate Jesu Missionariorum, quæ licuit evolvere, *Francisci Xaverii Philipucci* Præludium *de Cultu Confucii*, Lugduni & Parisiis 1700. *Prosperi Intorcetta* Testimonium *de Cultu Sinensi* A. 1668. datum, editum A. 1700. *Jacobi le Favre*, dissertatio Theologico-Historica *de avita Sinarum pietate* præsertim erga defunctos, & eximia erga Confucium magistrum suum observantia, ibid. 1700. *Informatio Antiquissima* de Praxi Missionariorum Sinensium Societatis Jesu, circa Ritus Sinenses, data in China, annis 1636. & 1640. a P. *Francisco Furtado*, Vice-Provinciali Sinensi, edita ibid. 1700. *Apologia pro Decreto* S. D. N. *Alexandri* VII. & praxi Jesuitarum circa cærimonias, quibus Sinæ Confucium & Progenitores mortuos colunt,

vilem esse *utrumque* conficio, & similem, testandæ venerationis atque gratitudinis causa institutum. De *antiquis* quidem Sinis, eorundemque in Majores cultu id mihi testimonium est, e Libro scientiæ Sinicæ secundo fol. 58. ubi *ex instituto* ritus enumerat Confucius; eosdemque ita concludit:

„Denique serviebant *modò mortuis*, *sicut* servierant *viventibus*: Rursum serviebant *olim mortuis*, ac si servirent iisdem salvis ac superstitibus: Atque hic sc. erat *obedientiæ apex*.„

Finem ipsius *cultus parentalis* L. III. P. X. fol. 155. expositum deprehendo; & plane eum, qui consilio Civili, non cultui religioso accommodatus sit. Inter cetera enim facta Imperatoris *Vu Vom*, tandem id quoque recenset Philosophus:

„Ad extremum quæ circa populi sui gubernationem valde cordi habuit memoratus Imperator & magni ponderis ac momenti esse duxit; *tria* fuerunt: subdito-

colunt, ex Patrum Dominicanorum & Franciscanorum scriptis concinnata. Lovanii 1700. *Audiatur* vero *& altera pars*! Neque hæc decisionem comprehendere judicentur meam; siquidem §. 18. monui, abstinere me a certamine. Refero hic testimonia, ut deprehendo: indico, quid consequi videatur ex iisdem illis, ut jacent. Cetera Viris, quorum interest, salva plane & intacta relinquo.

ditorum *annona*, ut semper affatim esset earum rerum, quæ vulgo sunt ad vitam sustentandam necessariæ: *Funera* & exequiæ, ut debito ritu modoque peragerentur: *Parentalia* denique seu honores funebres & solennia quædam fercula statis anni temporibus in memoriam defunctorum parentum ac majorum offerri solita: *quibus admonerentur filii* gratæ pietatis & observantiæ erga Parentes etiamnum superstites, quando videbant eam erga progenitores jam pridem demortuos tam accurate sollicitequc exerceri. „

§. 162.

Parentum Auctoritas sepes Magistratuum.

Non possum ego applausum denegare *sollicitudini antiquorum* Sinæ LLtorum & Philosophorum, qua Parentum autoritatem, quanta potuerunt, maximam liberis commendarunt; *sepem* illam interpretor *pro* tuenda *dignitate magistratuum*; *impossibile* videtur (cum Sinis philosophari placet) ut magistratui obedientiam neget, qui eam & a Patre didicit, & a filiis postulat suis; *impossibile*, ut repugnet, cui a teneris annis, nihil æque exemplo & præcepto & ritibus inculcatum est, quam cultus, veneratio, obsequium in parentes, ipsos etiam magistratui subditos; *impossibile*, ut novis rebus studeant, qui solennibus festis docentur amare, quæ prisci; studere illis, quibus prisci;

priſci; imitari ea, quæ priſci fecerant; & quæ ſunt ſimilia, quæ prolixius non repetam.

§. 163.

Unum tantum *huic* ſectioni liceat adjungere. *Utcunque* arctior & major apud Sinenſes quam noſtros communicatio inter Patrem atque filium obtinere ex dictis videatur: *non* eo *tamen* eouſque exporrigi illam Confucius admittit, ut Parentum ſive ſapientia ſive vitium imputetur filiis. *Locutionem* a ſacrificiis inter Sinas uſitatis ſumit; *rufum* colorem adhibebant ſub Imperio *Cheu*, rejiciebant *maculoſum*. Ait igitur Confucius: Quousque Parentum & liberorum communicatio extendatur?

Diſcipulus meus *Chum cum*, tametſi *Pater* ei ſit vilis & abjectæ conditionis homo, variis item notatus vitiorum maculis, adeoque *maculoſi bovis* inſtar: *Ipſe* tamen virtute inſignis *rufi* inſtar eſt *vituli*. *Uti igitur* ſtulto certe improboque filio, nec virtus patris aut ſapientia ornamento eſſe poteſt: *ita nec* improbitas ſtultitiaque patris fraudi eſſe debet probo filio & ſapienti, adeoque digno, qui ad publica munia adhibeatur.„

§. 164.

Herilem ſtatum referri a Sinenſibus ad Patrium jam ante vidimus, ubi totius familiæ regimen incumbere Patri, aut univerſam domum matris exemplo contineri in concordia & flore intelleximus. Officia Heri & ſervi eleganter indicata.

 Pla-

Placet binas saltum observatiunculas addere speciminis loco. *Magna* Confucio *differentia* est, sapienti servias, an improbo? Sapienti *facile servias*. Quid ita? metitur vires Tuas & facultates, & iisdem accommodat mandata. Intelligis officium *heri*? Sapienti *difficulter oblectamentum* faxis. Quid ita? admittit nonnisi honestum. Intelligis officium *servi*? ipsam quoque sententiam, eleganter enunciatam, & per contraria illustratam apposite.

L. III. P. VII. fol. 96. 97. ita *Confucius*:

„ Viro *sapienti facile* est quidem servire, & jussa quælibet Imperantis exequi: At *difficile* est sane eidem præbere oblectamentum. Etenim si offeras oblectamentum ipsi non consentaneum honestati & rationi, non admittit. Agendo vero de ipso ut est imperans aliis, semper utique metitur vires & facultates eorum, quibus quid imperat. *Stulto* contra *difficile* est servire; at *perquam facile* præbere oblectamenta: quippe si demulces illum & oblectas, quamvis id turpiter & illicite, oblectatur tamen. Agendo vero de ipso, ut herus est, seu Præfectus populi, importune & inclementer exigit ab suis res omnibus numeris absolutas. „

§. 165.

Cautela circa tuen-

Vidimus *Herum* se *accommodare* subjectis,

ctis, cavet Philosophus tamen, ut ne *auctoritas*, quam ille semper salvam voluit in omnibus hominum actionibus & consuetudine, aliquod inde damnum ferat. Circumspectius hic agi vult, ut ne *contemtum familiaritas* inferat, aut *querelas* generet *severitas*. dam Auctoritatem Herilem.

L. III. P. IX. fol. 132. Confucius ait: Solas fere mulierculas, & infimæ conditionis homines, cujusmodi sunt, qui nobis famulantur, perquam difficile est sic tractare, ut tamen contentos habeas. Etenim *si propior* illis fias per indulgentiam quandam & facilitatem: jam non submisse se gerent, sed insolescent, nec Te (uti par erit) colent; ac verebuntur. *Si Te removeas* ab eis, nec nisi perraro cum ipsis agas, idque cum auctoritate quadam & severitate: jam querentur, & odio habeberis uti austerus, illiberalis inhumanus.,,

§. 166.

Diximus de patrio Regimine & officiis familiæ. *Qui* domum eo ordine suam continere didicit, *illum* Sinæ populo præficiunt & ad gubernacula transferunt: *non sane*, quod existiment, illum magnis illico sufficere, qui parva possit dirigere; Transitus ad sequentia.

,, Vir eximius, inquit Confucius L. III. P. VIII. fol. 115. non potest *parvis ex rebus*, quamvis eas præclare gesserit,

illico sciri seu statui, etiam potens esse, seu idoneus *ad res magnas* suscipiendas & tractandas.„

Sed quod istum quidem *præparatum* putent, & *eos* minimum *arceri* magistratibus atque dignitatibus præcipiant, qui vel suam personam vel familiam ex honesto & decoro componere non valeant.

L. III. P. VII. fol.93. inquit Philosophus: „Si quis recte instituat suam ipsius personam in suscipiendo Magistratu, ecquid habebit negotii vel difficultatis? Contra si non possit recte instituere suam ipsius personam, quo pacto tandem reget instituatque alios? „



SECTIO SEXTA SPECIALIS.

DE

OFFICIIS MAGISTRATUUM ET MAGNATUM.

§. 167.

Ratio dicendorum.

AD Magistratum pervenimus & Dynastas. Eorum *potestatem*, *ordines* & *jura* enumerare non possum, quod desunt

ſunt mihi *officiorum & rituum libri*, in Europa, quod ſciam, nondum editi. *Peregrinantium* relationes, opinor, attendi non debere, ubi ex authenticis omnia documentis eruere conſtitutum eſt. Quæ igitur in *libellis meis claſſicis* deprehendo, illa ſummatim perſequar, *primo* ad magiſtratus quoscunque animum attendens, *deinde* ad miniſtros Principum & Regulos.

§. 168.

Magiſtratui *neminem* admoveri volunt, *niſi idoneum*; eoque poſtulant, ut *privati præparent* induſtriam, admoti officio *exerceant*; *recuſent* dignitatem, cum ei gerendæ non ſunt idonei, tantum abeſt, ut ambire indignis liceat. **Magiſtratum non ſuſcipiant niſi idonei.**

L. III. P. IX. fol. 120. „ Privatus adhuc degens tum præparat ſuas recte gubernandi rationes & induſtrias: Poſt vero publico fungens officio fidelis adminiſtri, tum ſc. exercitat ſuas, quas præmeditatus fuerat rationes & induſtrias. Ego audivi hoc proverbium: At necdum vidi ejusmodi hominem „ Eſt L. III. P. III. fol. 19. *exemplum declinati* ob indignitatem ſuam *muneris*: „Confucius juſſerat diſcipulorum unum, *Çie tiao cai* dictum, gerere magiſtratum. Reſpondit *ille*: Ego hujus rei nondum teneo, vel aſſecutus ſum ſufficientem peritiam, ut eam auſim ſuſcipere. *Confucius*

fucius audito discipuli sui responso, prudentiæ modestiæque pleno, admodum gavisus est. „

§. 169.

Quinam sint idonei?

Idoneos autem illos *prædicat* Philosophus, *qui* moderati sunt, lenes, minime tetrici; *qui* non negligunt majora, intenti minutiis; *qui* neque lenti, neque timidi; certi autem promtique consilii; perspicacis atque omnia penetrantis ingenii; *qui* arte valent, & ingenio ad res omnes idoneo; maturi studiis, non elevati affectu præcipiti, & quæ sunt similia. *Non* ego *rationes* consilii allegabo, etsi facile succurrant: *testimonia* adducam aliqua, quæ ceteris elegantiora videntur.

L.III.P.III.f.26. inquit Confucius: Discipulus meus *Yum* vir est admodum moderatus, lenis, minimeque minutus ac tetricus: dignus proinde, quem faciant Austrum versus respicere, sive obverso ad meridiem vultu jus dicere. * „ L. eodem P. eadem fol. 29. ubi ex Confucio quæsivit de discipulis ipsius Regni *Lu* præfectus, an admoveri possint gerendæ reipublicæ? de singulis ita magister respondit: „ Discipulus meus *Yeu* vir est haudquaquam lentus aut timidus; sed admo-

* Id est, dignum judico præfectura; Namque apud Sinas non modo Regis aula, sed omnium etiam Præfectorum Regionum tribunalia *Austrum* respiciunt. vid. l.c. fol. 26.

modum certi promtique consilii; quique adeo lites quaslibet sapienter decidere, & quæcunque etiam intricata & difficilia negotia expedire queat. Discipulus meus *Sù* est perspicacis, & omnia penetrantis ingenii, quo rerum causas, negotiorumque rationes omnes ac fines perquam facile cognoscit: In gerenda itaque præfectura quid habeat negotii vel difficultatis? *Kièu* discipulus meus arte valet & ingenio ad res omnes apto: ad gerendum itaque magistratum quod attinet, quid impedimenti quæso habeat, quo minus eum præclare gerat? Parte autem VI. fol. 75. Cum discipulus Confucii *Çu lu*, præcipuus administer præpotentis familiæ *Ki* gratia sua & autoritate perfecerat, ut condiscipulo *Çu cao* præfectura alicujus ditiunculæ *Pi* concederetur, indignabundus Magister: Mihi crede, *damno Tu es huic homini*, optimæ alioquin indolis ac spei, dum *immaturum* ad munus publicum inconsulte promoves.„

§. 170.

Ambire Magistratum *licet*, ex Philosophi sententia, *cum* in regno Leges vigent & virtutes: sin illæ jaceant, indignum arbitratur, servire tempori, & augeri velle opibus ac honoribus.

Quando conveniat ambire Magistratus?

L. III. P. IV. fol. 49. „*Si quando* in Imperio *est* virtus legumque observantia;

 Phi-

Philosophus palam se facit: *si vero* in Imperio *deest* virtus; tum latet privatus quidem, sed tutus. E contrario, *quando* regnum *habet* virtutem, quando vigent leges; tunc autem privatæ vitæ otio marcescere, & velle vivere pauperem, & adhuc negligi, pudendum est. Jam vero, *quando* regno *deest* virtus, & jacent Leges: tunc eum, qui dici vult Philosophus, servire tempori, & velle augeri opibus ac honoribus, indignum quid est, maximeque probrosum & pudendum.,,

§. 171.

Et quibus artibus? Si *modum* quis requisierit, quo perveniri ad dignitates atque Census ex *Confucii* sententia possit & liceat? dignum illum Philosopho deprehendimus. *Prudentiam* adhiberi vult in sermonibus, atque negotiis, præcipue illis, quæ cum periculo & difficultate conjuncta sint: *Caute* enim considerateque *vivendi artibus* perveniri ad dignitates atque census existimat. Enarrat illa, cum discipulus ipsum accesserat, operam Philosophiæ daturus, ut obtineret literarum doctrinæque præsidio dignitates in republica, &, qui illas consequuntur, amplos census. *Dubito*, an eadem nostrorum responsio foret, quæ Confucii: Audiamus illam.

L. III. P. I. fol. 18. ,,Ex multis hominum sermonibus, quos audire Te contigerit,

pru-

prudenter secerne, ac relinque, silentioque fac premas, quæcunque dubia fuerint vel incerta: considerate vero fac proloquaris cetera, quamvis tibi certa videantur esse, tutoque dici posse; sic enim fiet, ut verbis quidem perraro pecces. Rursus ex multis rebus ac negotiis, quæ vulgo videbis suscipi, iis prudenter abstineto, quæ sunt cum periculo vel offensione conjuncta: caute vero Te geras & considerate reliquis etiam in rebus; sic enim fiet, ut raro Te rei vel temere susceptæ vel male gestæ pœnitudo subeat. Porro ubi tam præclara vitæ morumque ratio servabitur, ut quis *nec verbo* nisi forte rarissime offendat, *nec facti* nisi rarissime pœniteat, mihi crede perampli census his tam caute considerateque vivendi artibus continentur: *Tantam* quippe *prudentiam* & virtutem publicæ dignitates, & qui cum his conjuncti sunt, census, *ultro* consequentur.

§. 172.

Census hoc loco dignitatibus adjunxit philosophus: *qua* id *cautela* fieri debeat, & quantum illi officio concedant, disertius indicat L. III. P. IX. fol. 115. Quomodo respiciendi Census?

„ Serviens, uti servire par est, Regi, *ante omnia* & præ omnibus cordi habet, quæ sui muneris officiique sunt; ac *postponit his* censum suum, suaque stipendia. „

Adeo id quidem, ut & muneri & con-

ſequenter cenſui *renunciandum* eſſe præcipiat, ſi monendo arguendoque *nihil* proficias.

Ita enim l. c. fol. 117. Philoſophus: *Si cuipiam* ſuppetunt *vires* ac facultates ad gerendam rempublicam: *adeat* ſane munus publicum; *non* autem *valens* præſtare, quæ ſunt officii ſui, *ſiſtat*, & gradu, ſi quem forte obtinet, *ſeſe abdicet.*,,

§. 173.

De Auctoritate & Modeſtia Magiſtratuum.

Magiſtratuum quidem *dignitatem* ſollicite Sinenſes tuentur: Ipſorum tamen primam virtutem poſtulat Philoſophus *modeſtiam*, & ſubmiſſionem animi. Accommoda eſt hæc coordinatio. *Alterum* ſubditi debent; *alterum* Magiſtratus: *alterum* officii eſt; *alterum* perſonæ: *alterum* cives coërcet; demulcet *alterum* & allicit. Quam id egregium eſt, alteram alteri virtutem reſpondere, alteram temperari altera. Ita fieri poteſt, ut neque lenitas in levitatem degeneret, neque, quod ſerium & ſeverum eſt, grave fiat, aut rude. *Debent* Magiſtratui Cives Reverentiam: *debet* ille Civibus benevolentiam. Primum pertinet ad Auctoritatem officii: alterum involvitur in modeſtia perſonæ.

§. 174.

Teſtimonia Sinica.

Utriusque rei *ſpecimina* non e recenti gentis hiſtoria, ſed *ex antiquis* Confucii

præ-

præceptis repetam. Posset alioquin *pro declaranda Magistratuum autoritate* allegari apparatus, quo jus dicitur; Ejusmodi enim est, quod in singulis urbibus ante fores atrii Præsidis tria tormenta bellica collocantur, atque exonerantur, quoties Præfectus pro tribunali sedens publicam dat, aut finit audientiam, quoties palatio egreditur & ingreditur, quoties magnum excipit hospitem, & abeuntem deducit, aut cursorem cum literis ad aulam expedit & Imperatorem &c. Manebo in præceptis antiquorum.

De *Autoritate* Confucius L. III. P. I. fol. 18. „Is, qui Magistratum gerit, quoties se dat in conspectum suorum, si cum decoro & gravitate se gerat, nihil appareat in illo leve vel incompositum, nihil agreste vel inhumanum: tum subditi eum suscipient & reverebuntur.„ De *Modestia* insignis locus est L. III. P. VI. fol. 75. 76. Ibi Confucius discipulorum desideria exquirit: Ei igitur *u lu* respondet: *Mille quadrigarum* dynastia * medio sita loco & conclusa sit quodammodo inter majora duo Regna.

* Est hæc Regio, quæ ambitu centum studiorum Sinensium, id est, octo leucarum Gallicarum continetur, propria illa Regulorum: appellatur hoc nomine, quod belli tempore mille quadrigas bellicas in campum educere Dynastæ tenebantur.

gna. Augeatur eadem & firmetur cum præsidiis bellicis, atque imprimis majoribus minoribusque militum legionibus: Inter hæc autem frequens adsit segetum frugumque fertilitas; *ego* autem in tali re ac tempore *gubernator* sim istius dynastiæ. *Spondere* ausim, quod vix dum exacto *triennii* spatio potero efficere, ut vel sic habeant subditi mei multum roboris & fidei constantiæque, simulque sciant præ oculis habere æquitatem suæ causæ, patriæque libertatem; & me duce socioque fortiter, ubi fuerit opus, pro eadem occumbere.„ *Confucius* hæc audiens *subrisit*. Causam risus, a condiscipulo non multo post quæsitus, hanc dedit: „*Administrandum est* Regnum ex præscripto & norma officiorum ac Legum: In his vero *primum* obtinet locum *modestia*, submissioque animi. Hujus autem discipuli sermones non significabant ullam modestiam. Atque hæc fuit causa, cur subriserim.„

§. 175.

Quantum temporis spatium requiratur ad renovandum populum.

Quemadmodum vero universa Magistratuum cura in renovando populo absolvitur: ita postulat *Confucius* quoque, ut *elapso aliquo tempore* intelligatur, factum esse operæ pretium in emendatione civium. *Primo* quidem *anno* graviora extirpari vitia; *tribus* post *annis* absolvi rem posse autumat; *Proverbio* quidem dici,

dici, administrantibus Imperium probis *per seculum* Principibus, quamvis immanes & improbos posse ad frugem reduci, aboleri pœnas & mortis supplicia; amore scil. non terrore in officio subditos cohibente; esse tamen id spatium longius; rara videlicet virtute & sapientia Principem *triginta annis* id posse efficere, ut nativa virtus nulli non indita feliciter efflorescat.

L. III. P. VII. fol. 93. „Si quis esset e Dynastis ac Regulis, qui uteretur me, opera mea & consilio, *annua periodo* mensium, nec amplius, jam perfecissem aliquid, jamque pretium appareret aliquod operæ meæ; gravioribus saltem vitiis sublatis. *Tribus* vero *post annis*, uti sperare ausim, jam foret res perfecta. Subjungitur his dictis Proverbium, quod diximus, & cetera. Sed nolim illa bis legi eodem loco.

§. 176.

Testimonium *Magistro* discipulus exhibet L. III. P. X. fol. 146. 147. atque *methodum* describit, qua usus Confucius ditionem sibi concreditam florentem reddiderit, procurando copiam rerum vitæ necessariarum; introducendo disciplinam & bonos mores; præstando tranquillitatem internam atque externam; alliciendo exteros fama sui regiminis; excitando populum in studio virtutis; **Exemplum, ordo, & media Confucii.**

tutis; concordiam & amorem inter cives universalem introducendo; atque illa omnia non strepitu aut violento motu, sed blande & leniter, quo scil. modo occulta Cœlorum virtus, etsi plurima in terris perficiat, secretissima tamen oculos hominum, & plerorumque intellectum fugiat.

„Magister meus, inquit *Cu cum*, nactus aliquando magnam ditionem pro ipso ditionis Principe administrandam, *numeros omnes* sapientis & benigni gubernatoris *hoc ordine* & modo explebat. *Primum* quidem, quod vulgo dicitur ac præcipitur Gubernatoribus, erige & sustenta populum, æqua scil. agrorum divisione & vigilanti industria, ne quid earum rerum, quæ ad victum cultumque corporis necessariæ, desideretur. Confucio res administrante, protinus erigebatur populus, & instar cultæ segetis succrescebat. Hunc vero in modum suppetente rerum copia, quod *deinde* præcipitur verbis & exemplis tuis ad omnem recte honesteque vivendi rationem ac disciplinam manuducito & dirigito rudem populum; Confucio dirigente idem protinus lubens volensque sequebatur, & viæ, quæ monstrata fuerat, constanter insistebat. Constituta vero hunc in modum optimis legibus ac disciplinis republica, quod *postea* præcipitur,

pitur, procura quietem populo; sic ut suo singuli loco & conditione contenti, in natali solo velut in Centro conquiescant: Procurabat hanc quoque rara solertia prudentiaque Confucii. Protinus itaque exteri complures finitimis e terris tam optatæ quietis forma & desiderio impulsi, turmatim ventitabant. Parta vero tranquillitate publica, quod *deinde* præcipitur, permove & excita populum, & aliis industriis, aliisque, studium virtutis, mutuæque inter omnes caritatis & observantiæ renova; erige languentes, currentibus subde calcaria. Confucio quidem sic excitante suos protinus vigebat inter omnes concordia, & quæ hanc comitantur ritus, officiaque colentium amantiumque inter se civium. Ad cumulum vero laudum istarum *accedebat*, quod tanti fierent animorum motus sine motu strepituve illius, qui movebat: non aliter fere, quam tacita occultaque cœlorum virtus cum plurima perficiat in terris, secretissima tamen est; & non oculos modo, sed intellectum quoque mortalium fugit. *His aliisque de causis* fuit omnino *ipsius vita* perquam *gloriosa*; ejusdem vero *mors* perquam *lacrimosa*, communi diuturnoque *luctu*, qui hanc consecutus est, *testante*, fuisse *ipsum* civibus suis haud secus ac *Patrem* suis liberis in honore;

nec

nec aliter fere quam blanda Mater esse solet in deliciis & amore.

§. 177.

Boni Ministri Origo. *Ista* potissimum *generalia* de Magistratibus præcepta fuerunt; nisi quod intermedio Confucii facto viam ad *officia Ministrorum* atque Regulorum specialia expediverimus. Nemo id sine voluptate leget, quam sollicite ministrorum jura & officia & cautelas in monendo Principe Sinenses commendant; quantum probis pretium statuant; quam sublimem illis originem adjudicent, & quousque illorum officia simul atque efficaciam extendant? Persequamur illa *breviter*, ubi *decet* philosophantem *de Magnatibus.*

„Ita nimirum res habet (verba loquor Philosophi)L.III.P.IX. fol.139. „*Quotiescunque Cœlum* pacandis & instaurandis Imperii rebus Reges submittit ac Principes: Adjutores etiam Principum, qui horum conatus industria, virtute, sapientiaque juvent, benigne submittit. Unde etiam *Cheu* familiæ conditor *Vu vam*(sunt verba L.III.P.IV. fol. 50. 51. gratulabundus sibi identidem dicebat: Ego habeo Regiminis mei adjutores, subditos decem homines. Et *inter decem* illos datur *una mulier*, inquit Confucius, Regina sc. *Ye Kiam* Imperatoris ejusdem uxor, quæ familiam regiam, resque

resque Palatii admirabili cum virtute ac sapientia regebat.

§. 178.

Mirum non est ipsum sibi Imperatorem gratulari de felicitate ista, qua coelitus beatus fuerat: sunt plura ejusmodi specimina. *Eminet* præclaris documentis *desiderium* Principis *Mo cum*, in primo statim libro classico scientia Virorum Principum dicto, relatum ac commendatum a Philosopho. Non potest majus aliquid ab homine postulari, sed neque utilius quicquam commendari Magnatibus: itaque integrum exhibeo locum, fulciendum deinde exemplis aliorum & encomiis Confucii. Descriptio & Pretium Magnis Status administri.

Ita Lego L. I. fol. 31. „Suspiria hic sunt & vota *Mo-cum* Principis *Cin*, quibus vel unum aliquem probatæ integritatis, solidæque virtutis Virum sibi a Consiliis, & in Regni administratione adjutorem optabat; cui scil. omnem officiorum dignitatumque dispensationem tuto committeret. Itaque Regni hujus *Cin.* Princeps suspiria & vota sua proceribus notificaturus identidem dicebat: *O si haberem* unum aliquem *Dynastam*, Virum integrum ac sincerum; cui tametsi nullum esset aliud talentum, *

O ejus

* Equidem *hoc fieri non potest*; qui non ipse sapiens est, litteratus, probus, æqui & justitiæ amans, non

ejus tamen cor amplum & tranquillum, liberumve invidiæ esset. Hic talis si haberet eam animi omnes æque complectentis amplitudinem, *ut videns* hominem habentem præclara talenta, animitus eundem *amaret*, *tanquam si* ipsemet ea haberet; vidensque *alios* sapientia virtuteque præditos, *ipse* ex corde gauderet, eosque non mere verbotenus & velut a suo duntaxat ore profecta laude commendaret, sed vere ac sincere valeret admittere ejusmodi Viros a virtute & natura egregie commendatos, utendo eorundem opera ipsosque ad congrua ipsorum talentis munia & dignitates evehendo. *Hujusmodi sc. Vir is* esset, ut *valeret* tueri & conservare meos filios ac nepotes in stabili regni fortunarumque possessione & affluentia; populum vero in pace, unione, & tranquillitate perenni: [illegible] quid dico conservare? imo etiam esse lucro regno ipsi universo, & novo indies incremento.,,

§. 179.

non ille sapientes, litteratos, probos, æqui & justi tenaces *eo*, *quo* hic dicitur, affectu unquam complectetur. Potest id demonstrari ex ordine modoque, quo seipsum unusquisque intuetur, quo ceteros, sibi collatos? Sed vero id facile Lectores excusabunt. Placebit opinor, *eousque* inflammatum esse Principis animum, ut *præsuppositi* oblitus, in *sola* hac Ministrorum virtute, difficili sane & excelsa, sed utilissima, videatur acquiescere.

§. 179.

Nihil dubito *ejusmodi præcepta*, e generali Juris prudentiæ principio superius enarrato, derivata *duplicem* facile *applausum* obtinere a Lectoribus, *alterum*, quod usus facti sit luculentissimus, *alterum*, quod inusitata nostris Philosophorum auribus conclusio; neque enim consuevimus, eo usque nostras extendere e generalibus effatis consequentias, ut tam prope ad remp. atque ejus administrationem accedant: verum aliter *Sinæ* faciunt, quibus hoc datum est, non negligere majora præ minoribus. Non sufficit reipublicæ, *privatos mutuo* agere, *quæ sibi* fieri velint, & ex sua ceteros persona metiri, aut ipsorum etiam verbo, nosse amare homines & odisse. *Regi* illud *& Magnatibus* commendant; Ita enim post priora Philosophus: Argumentum rei ex Principio generali.

„L. I. fol. 32. 33. „*Solus* pius perfectusque Princeps est, qui *novit amare* homines, & *novit* item *odisse*: Videre seu nosse virum aliquem probum ac *sapientem*, & *non velle* evehere & uti illo, vel evehere quidem, sed tamen *non voluisse* id facere *citius*; est *injuriam* facere. Sed e contra videre *improbum* ac perniciosum reipublicæ hominem in dignitate constitutum, & tamen *non velle* eum inde removere; vel removere quidem, sed admodum segniter & remisse; nec

velle removere longius; *crimen* est. Scire amare & scire odisse homines, est perfecte adimplere supra dictam illam probi *regis* normam & regulam, qua *populi affectus* ex *sua ipsius* persona metiri solet.„ Conf. si placet, in antecedentibus §. 50.

§. 180.

Exempla ejusmodi Magnatum. *Exempla* utriusque rei luculenta sunt in promtu, gravi etiam *Epicrisi* ornata per *Confucium*.

L. III. P. VII. fol. 102. Cum vidisset a *Cum xo ven çu*, Præfecto Regni *Guei*, domesticum ipsius ministrum *Si ven* dictum, ob egregias dotes *adnitente domino* ad *eandem* cum ipso dignitatem evectum esse, & una cum illo ascendere in aulam regiam ad tractanda pariter negotia: Confucius meritam Viri laudem ex nomine ipsius petens, ita graviter edixit: „Revera *vel ex hoc uno* capite dignus est illustri nomine, quod ei Rex quondam honoris gratia tribuit, dignus est, inquam, qui censeatur ac prædicetur Vir prorsus obsecundans rectæ rationi, & ornatissimus virtutum laude.„

Suspicit enim Philosophus, ita pergit Commentator Sinicus, raram viri virtutem, apud quem *tantum* valuerit utilitas *publica*, ut *sui* quodammodo oblitus, non dubitarit, hominem usque adeo humilem ad eundem cum suo gradum promovere.

vere. Sequenti autem VIII. Parte fol. 113. alterum regni *Lu* Præfectum graviter reprehendit, ob factum prioris oppositum.„ Regni *Lu* Præfectus, *Çam ven chum* nonne ipse *furtim* & fraudulenter gerit Magistratum, ac tuetur dignitatem suam. Hic enim, cum perspectam habeat *Lieu hia hoei* Viri nobilissimi sapientiam, & virtutem, & quanto is emolumento possit esse Reipublicæ: Regi tamen eum non commendat, aut proponit, ut promoveatur.„

§. 181.

Prolixe ista recensui, quoniam *Confucius* aliquando *solo hoc medio* felicem Reip. gubernationem obtineri prædicat. Cum enim quæreret discipulus de modo recte gubernandi, Momentum ejusmodi Exemplorum.

L. III. P. VII. fol. 89. respondit: Fac, habeas præfectos minores, quorum opera & ministerio res perficias. Dissimula prudens & condona minora peccata. Evehe ad honores publicos, & admove gerendæ reipublicæ viros spectatæ virtutis & sapientiæ. Sic enim Tibi Tuisque præclare consules.„

Didicit id Philosophus exemplo antiquorum. Parte enim VI. L. III. sententiam receptam a discipulo allegatam: *Evehe probos, neglige improbos, sic poteris efficere, ut improbi fiant probi:* exemplo Imperatorum ita declarat fol. 85.

 Xùn

Digitized by Google

„*Xun* olim cum obtineret Imperium, matura usus deliberatione, selegit sibi unum ex omnibus, & evexit ad munus supremi adjutoris sui, sapientem sc. *Cao Yao*; qua re vulgata per Imperium improbus quisque seu expers virtutis tam procul fuit semotus, ut evanuisse crederes improbitatem. Similiter *Tam* Imperator, postquam obtinuit Imperium, selegit ex omnibus & promovit ad supremam dignitatem, sapientem *Y Yn*, & ecce improbus quisque vel ad frugem rediit, vel tam procul abscessit, ac si vivere desiisset.

§. 182.

Præfectorum Virtutes quatuor. Pergamus ad cetera ministrorum atque Præfectorum officia. *Quatuor* illorum *præcipuas virtutes* in exemplo prædicat Philosophus: primo loco moderationem, secundo fidem erga Principem; tertio beneficentiam quarto æquitatem & justitiam enumerat. Illis autem vel in uno præfecto obviis satis præsidii pro universa ditione contineri asserit.

L. III. P. III. fol. 22. 23. „Præfectus *Çu chan* habet *proprias perfecti* Viri virtutes *quatuor*. Nam ipse res agens suas ipsius, admodum moderatus, modestoque ac demisso est animo, nunquam se suaque laudat: idem tamen alios, qui probitate conspicui sunt, palam deprædicat, sibique ultro præfert. *Deinde* ipse

ipse serviendo & obsequendo Principi ac Superioribus suis magna cum observantia se gerit, promteque & alacriter facit Imperata. *Praterea* ipse conservando tutandoque populo perquam est beneficus, quæ subditis suis commodo sunt & lucro, solicite procurans, quæ damno, arcens. *Denique* ipse gubernando populo & jure dicundo magnam adhibet æquitatem & justitiam, nemini favens impensius, neminem asperius, quam fas sit, tractans, æquus adversus omnes. Itaque Regnum *Chim* tametsi jaceat inter duo regna præpotentia *Çin* & *Çu* medio situm loco: *tali* tamen *administro* rerum suarum, egregie tuetur libertatem suam, vimque omnem & insidias vicinorum regnorum avertit. *Tantum* scil. *præsidii* est vel in unius Viri sapientia & virtute!

§. 183.

Si quis illa *generaliter* enunciari malit, non desunt effata Philosophi: Generaliter enunciatæ.

L. III. P. VI. fol. 82. „Quæsitus de modo gubernandi respondet: *Ante omnia* meditare, quæ Tui sunt officii, idque meditare constanter & sine inertia. *Deinde* tracta negotia publica, & aliis consule *eadem* cum veritate & fide, *qua* Tibi ipsi, profectuique Tuo consuluisti.„

§. 184.

Præcipue illa sunt eximii ponderis præcepta, De Officio monendi Principem

cepta, quibus hortatur magnates, ut *Principem* de officio *admoneant*. Argumenta sententiæ sane gravia sunt, asserit; eorum non monentium culpam esse, cum Princeps exorbitet; verum illum & fidelem ministrum non esse, qui Principem officii non moneat; si Princeps hortantem non audiat, audire patriam, audire posteritatem; satius esse mori, quam dissimulando in Regem & Patriam peccare. Moderationem tamen eo in negotio adhibendam, ne ægrum per sese animum quis exacerbet; ante omnia curandum esse, ut de fide monentis certus sit Princeps, eo enim facto auditurum, non vero, ubi de fide dubitaverit ministri. Dabo verba quoque, quoniam aliquando eleganter enunciata & exemplis illustria:

L. III. P. VII. fol. 99. „*Quisquis amat*, potestne non exercere duris, quem amat? Rursus, *quisquis fidelis est*, verusque minister sui Principis, potestne non monere eum officii sui? L. III. P. VIII. fol. 117. Confucius ministro caussanti, invito se dominum parare bellum injustum, inter alia sic respondet; quæro abs te; *Testudo rara artis*, aliave pretioso e lapide supellex, si damnum passa periit, quamvis in arcæ medio reposita; damnum hoc cujus tandem erit crimen? Numquid ejus, cujus fidei

dei & curæ commissa supellex fuerat? „

§. 185.

L. III. P. IX. *Pi can* tanquam insignis Heros commendatur a Philosopho: Ejus hoc factum recensent Sinensium monumentis RR. PP. Editores fol. 133. Hic *Pi Can* Imperatoris *Chen* patruus, cum videret omnia pessum ire insolentia & crudelitate nepotis, paulisper secum ipse deliberans: „*Satius est*, inquit, *mori, quam dissimulando & in Regem & in patriam peccare. Omnino dicenda veritas est, licet odium & exitium paritura. Non audiet tyrannus? At audiet Patria, audiet posteritas omnis.* Hoc dicto progressus in conclave regium patria cum autoritate nepotem admonet: resipiscat tandem aliquando: sibi consulat, suisque. Minas addit, procul dubio futurum, ut experente pœnas ipsomet cœlo, amittat Imperium cœlitus collatum. Quocirca expurget animum vitiis inquinatum; revocet abjectum pudorem, revocet jura & leges; sic enim placari cœlum posse, & decretum, quod in ipsum jam sanciverit, revocari.„ Sed vero tyrannus veritatis impatiens & monitione ipsa efferatior ad circumstantes proceres: *Pi can* iste, si nescitis, *sanctum* se esse arbitratur; Ego autem audire me memini, quod *cordi* cujusque Viri *sancti foramina*

Exemplum illustre, sed luctuosum Sapientis Pi can.

sint omnino *septem:* explorare nunc juvat, an ita res habeat? Effatus illa, trucidari patruum jussit, & adhuc spiranti *cor* extrahi.

§. 186.

Exemplum aliud felicius Reginæ *Cham sun.*

Sed vero id luctuosum est facti specimen: Dabo *aliud* omnino elegans & *jucundum.* Imperavit seculo post Christum natum septimo *Tai Çum* bonus Princeps: eum aliquando offendit Colaus *Guei Chim*, crebrius importuniusque eum monens, jamque ab illius aditu & conspectu arcebatur. Inaudiit id Regina *Cham sun*, variis sapientiæ documentis clara, adit extemplo conjugem, sed inusitato cultu, ornatuque corporis, & instar gratulabundæ. „*Audivi*, inquit, *sæpenumero, mi Rex, quod, ubi datur Imperii gubernator sapiens atque perspicax, subditi quoque dentur veraces & recti. Rectus & verax est Colaus Tuus, nimirum quia Tu ipse tam eximia es sapientia & perspicacitate: Hunc ego Tibi gratulatura venio.*„ Placavit offensum opportuna dilectæ Conjugis gratulatio. * Mortuo deinde Colao

* Placet in memoriam *sapientissimæ mulieris* adjungere *testimonium,* quo demortuam Imperator honoravit, quod & merita *Reginæ* & amorem *Regis*, & *Colai* in monendo libertatem, & eminentiam Paterni amoris supra conjugalem demonstrat. ita autem *Coupletus* in Tab. Chronol. Monarchiæ Sinicæ fol. 56. „Librum ipsa conscripserat de recta Gynecæi insti-

Colao illo, *elogium* fidissimi *clientis* scribit ipse Imperator, & sepulcro jubet incidi. Conversus autem ad suos, tenerrima oratione sic ait: „*Tria sunt specula mortalibus*; *unum* ex ære, ad quod pileum suum vestemque suam apte componunt; *alterum* ex veterum libris & monumentis, in quo contemplantur ortus regnorum, & incrementum & occasus; *tertium* sunt mortales ipsi; quos si consideras attentius, facile disces, quid ipse pecces, quid te fugere, quid prosequi par sit? Et *ego tribus* hisce speculis adhuc quidem sum *usus*: Et *nunc* pro dolor! *amisi tertium*, fun-

institutione triginta capitibus constantem: hunc, postquam exstincta est, lacrymabundus Imperator coram suis accipiens in manus: *Norma*, inquit, *centum seculorum continetur hoc volumine*; *scio quidem luctum hunc tam acerbum Cæli nutu mihi evenisse, neque jam esse, quo illi medear: Sed enim dum reminiscor adjutricis tam fidæ, cujus præclara monita consiliaque nunquam posthac auditurus sim, an ego ferre desiderium, an temperare lacrymis possim?* Amoris interim ac doloris magnitudinem *Mausolæum* declaravit, ipso illo, quod extruxerat suo Patri, magnificentius. Cum itaque die quodam Colaum *Guei Chim* in editiorem ducens locum, Mausolæum Conjugis eminus conspicuum digito monstravisset, Colaus dissimulans abs se visum esse: *Existimabam*, inquit, *o Rex*, *contemplari & indicare Te sepulcrum Patris*: *Nam Conjugis quidem diu est, quod vidi.* Lacrymas elicuit Principi vox ista, qui non ignarus, quid illa carperet, destrui jussit Reginæ Mausolæum. Usque adeo filiorum pietas vincit apud Sinas amorem Conjugalem!„

functum vita; *Colaum* designans suum.„ Idem aliquando de via videns sepulcrum *Pi Can* Colai, quem ante occisum ob monita memoravimus, ornavit ipsum titulo *Yn tai fu*, id est, *Magni Magistri familia* Yn. Nimirum id in more positum est, ut ab Imperatore bene meritis, etiam post fata honores & tituli conferantur. vide Tab. Chronol. Monarchiæ Sinicæ f. 56. 57.

§. 187.

Exemplum tertium, cum remuneratione per Sigillum.

Sed vero & eorum exempla suppetunt, qui viventes ad huc præmia admonitionis suæ non proletaria obtinuerunt. Inter alia id *suave est*, quod in Chronologia Sinica fol. 81. legi, decimo quarto post Christum natum seculo factum. Imperator *Gin cum*, rei astrologicæ Sinarum more studiosus, cum nocte quapiam observasset mutationem in stellis aliquam, accitis ad se Colais: actum est, inquit, de mea vita: meministis me passum esse multa ab invitis per annos 20. quando degebam in palatio orientali, sed fides vestra concordiaque me contutata est &c. Eo dicto *duobus* spectatissimæ fidei viris *sigillum* donavit, insculptis literis *Chum Chin*, id est, *minister fidelis & integer.* Illi *cum lacrimis* excepere pignus honoris extremum, eoque deinceps sigillo epistolas suas obsignarunt.

§. 188.

§. 188.

Diximus historice satis multa: *pauca* illis adjungam Philosophica. *Artificium, quo* illam sibi facultatem atque *monendi copiam* Magnates *acquirere* possint, Confucio judice, illud est, ut fidem suam approbent Principi & populo: eo enim facto & illum tuto moneri, & huic imponi onera posse arbitratur. Cuinam liceat monere Principem?

L. III. P. X. fol. 141. inquit: „Quisquis gerit Remp. & administer est Principis, *Vir* sit *spectatæ fidei*, ac deinde fidenter *quidvis oneris* imponat ipsi populo. Quod si nec dum vulgo famam ejusmodi fidemque obtineat: tum si quid oneris imposuerit, populus hoc ipso censebit, divexari sese, similiter *notus* jam *a fide* Tua, tum deinde fidenter *moneto Principem:* Audiet is monentem, colet & diliget. At, si nec dum fidelis audias, quia revera talis non sis: tum quamvis optima monentem, tamen aversabitur, & hoc ipso censebit, non tam monere, quam calumniari Te illum.„

§. 189.

De *Ministris* quoque *Exauctoratis* & eorum officiis non male Confucius philosophatur: neque hic sine exemplis. Præcipuum est Præfecti in Regno *Çu*, superius promissum nobis §. 56. Officia Exauctoratorum illegitime.

L. III. P. III. fol. 23. Discipulus *Çu Cham* quærit ex Confucio: Gubernator regni *Çu*,

ter

ter ad officium promotus gessit supremum magistratum *Lim Yn* dictum absque ulla, quam vultu præferet, lætitiæ specie: *idemque exauctoratus* est, *absque* ulla item, quam vultu proderet, *indignationis specie*: imo *de præterita* officii illius sui Lim yn *administratione* infallibiliter certiorem faciebat novum, qui ipsi successerat, gubernatorem, ei *sine ulla prorsus invidia*, candide significans, *quicquid* usu didicerat prodesse vel obesse posse urbi feliciter administrandæ. Ecquid videtur dicendum de hoc Viro? *Confucius* respondet: *Vir* sane *fidelis* & rectus fuit. Instat discipulus: *Annon solidæ virtutis* Vir dici potest? Philosophus regessit: *Nondum scio*, quomodo enim scire possim, an ipse obtinuit solidam animi veramque virtutem?,,

§. 190.

& legitime. Ista pertinent ad eum casum, ubi illegitima est dignitatis privatio: aliud L. III. P. VII. fol. 99. exemplum est hominis *Pe xi*, cui ditionem trecentarum familiarum Princeps donaverat, & criminis cujusdam reo iterum ademerat. De illo Philosophus: *Pe xi* ex eo tempore redactus ad egestatem, adeoque vescens oriza viliori, tamen ad extremum usque ætatis suæ non protulit unquam iniquioris vel indignantis animi verbum.

Re-

Reputabat enim *assidue*, & quid abs se peccatum fuisset: & quæ quantaque essent alterius, qui sibi in ea ditione successerat, merita.„

§. 191.

Transeo aliqua ejusdem generis alibi obvia. Cujusmodi est illa Philosophi sententia L. III. P. VI. fol. 74.

De Abdicatione officii, & emigratione.

„Quisquis dicitur magnus Administer & Consiliarius Principis, is omnino secundum id, quod jus & ratio poscit, servit Principi. Quod si nequeat servire hoc pacto: tum desistit ac renunciat suo muneri.

Non tamen hic quicquam præcipitari vult, aut omnino *deseri ex tædio* patriam Philosophus concedit. Refertur L. III. P. IX. fol. 133. alicujus administri responsum his verbis:

„Eximius ille Vir *Lieu hia hoei*, agens in Regno *Lu* judicem caussarum criminalium, iterum ac tertio dejectus fuit de illa dignitate. Quodam igitur sic dicente: In hac perturbatione tanta rerum, bone Vir, an necdum jure possis renunciare Tuo muneri, & hinc alio migrare? Respondit ipse: Ego rectam viam normamque teneo, & secundum hanc servio Regi & hominibus: sed enim quo tandem commigrabo infelix, ubi fides integritasque non sentiat horum temporum calamitatem? Atque adeo, ubi non

tertio

tertio ac sæpius mea dignitate priver? quodsi induxero in animum, turpiter servire tempori, si perversa quadam ratione ac via serviam hominibus: quorsum opus est, obsecro, discedere ex Patrio Regno?„

§. 192.

Officium Publicum vitæ Privatæ anteferendum.

Referas huc illud quoque monitum, quo *privatum vitæ genus* graviter illis dissuadet Confucius, quibus ad obeunda munera publica facultas obtigit. Non potest divinari, unde argumentum Philosophus hauserit, aut quare illo usus sit, nisi occasionem enarravero, videtur enim disputare *ad hominem*, quod dicitur. *Factum* igitur ita breviter accipe. Accidit, ut *Çu lu* Confucii discipulus iter faciens incideret in senem quendam, agriculturæ deditum, qui cognito ex sermone & moribus discipuli animo, eum deduxit domum, & humaniter excepit, inter cetera quoque in conspectum hospitis produxit binos suos filios, majorem & minorem natu, qui pro suo quisque ætatis gradu comiter ac rite hospitem salutarunt &c. *Audita* rei serie *Confucius* existimavit esse Virum hunc de numero Sapientum, sed qui occultus sibi vacet: Eaque occasione ferente suam de ejusmodi privato vitæ genere sententiam exposuit. Eam L. III. P. IX. fol. 136, ita leges;

„Non

„Non gerere Magistratum etiam hoc statu rerum, miserrimoque tempore, si modo sis idoneus, nec fas, nec ratio sinat. Enimvero si duorum fratrum majoris & minoris natu ordinem, mutuumque jus in fortuito nascendi tempore fundatum nefas est violare: *Regis ac subditi* mutuum *jus ac officium* quo tamen pacto violabitur? Desiderant quidem *boni isti Viri* consulere integritati, innocentiæque suæ personæ, ut ajunt: At *non considerant* interim, quod perturbant violantque, magnum illum generis humani ordinem, arctissimumque vinculum, quo subditi suo Principi (maxime dum is periclitatur) & Cives laboranti patriæ obstringuntur. Idcirco Vir probus & sapiens perturbatis quoque rebus vel maxime Remp. gerit, & explet suum probi Civis munus; hoc ipso, quod mos Patrius & leges non vigent, jam intelligit hoc Civis probi ac sapientis munus, quod scil. est succurrere Patriæ etiam cum capitis discrimine, nec *senum istorum more* sedere otiosos spectatores ruinæ publicæ.„

§. 193.

Legatorum hanc *peritiam* Philosophus requirit, ut muneris sui res ita perspectas habeant, ut possint suo marte, & ex tempore apta dare responsa ad quæsita regulorum, ad quos mittuntur, Requisita Legatorum.

ut negligentia aut imprudentia sua non dedecorent Principis sui legationem seu negotia cum regulis pertractanda.

L. III. P. VII. fol. 92. „operoso labore ac studio perdidicerit quispiam *odarum* tercentum capita; collatum fuerit eidem Reip. gubernandæ munus; nec is tamen res muneris sui perspectas habeat, sicut si *legatus* eat *ad quatuor partes Imperii*, possit marte suo & ex tempore apta dare responsa ad quæsita regulorum, ad quos mittitur. Huic homini, quamvis multa multo studio comparata, eccui tandem usui erunt? Inutilis est lucubratio, quam rebus nequeas factisque proferre.„ Atque iterum fol. 95.: qui a Principe suo legatus ad 4. Imperii partes negligentia vel imprudentia sua non dedecorat Principis sui legationem, seu negotia cum regulis tractanda: Is poterit dici vir eximius ac primarius.

§. 194.

Officia Regulorum. *Regulorum* denique, hoc est, eorum Imperii Vasallorum, quarum singuli quadrigas omnino mille tenebantur in promtu habere, & jubente Imperatore in aciem producere; regulorum, inquam, hæc *quinque officia* in primis necessaria Confucius recenset: *Sollicitudinem* in rebus omnibus, etiam minoribus; *fidem* in omnibus, sermone etiam, cum æquitate præmiorum & suppliciorum; *moderatio-*

rationem largitionum, & sumtuum; *amorem* civium, præcipue afflictorum vere paternum; denique in *operibus* publicis *opportune* imponendis curam. *Suavius* ipsa sonant *Confucii* verba: Namque & *argumenta* præcepti continent & præclara quidem.

L. III. P. I. fol. 3. 4. „Ut quispiam feliciter administret *mille quadrigarum* regnum, *quinque* sunt inprimis necessaria. *Primum* sollicite, considerateque tractet res omnes ditionis suæ: nihil, quamvis parvi momenti videatur esse, putet ab se negligi posse; memor ex una Principis inconsideratione provenire non raro calamitates, quæ & amplissimam ditionem, & multis quidem seculis affligant. *Deinde* colat fidem ac veritatem, sibique persuadeat hanc esse pretiosiorem gemmam suæ coronæ. Veri sint igitur, & sine ambiguitate sermones ejus, adeoque latentis in animo sententiæ indubii semper indices. Maxime vero in decernendis vel præmiis vel suppliciis, sectetur id, quod æquum est, justumque. Sic fiet, ut subditi vicissim quævis imperata faciant, & quidem alacriter & cum fide faciant. *Tertio* largitiones moderetur ac sumtus, inutiles superfluosque tollens: sic namque in ærario regio totoque regno opum semper affatim erit. *Item* amet homines

ſibi ſubditos paterno prorſus affectu, opitulando omnibus, quos vel orbitas ac ſolitudo, vel inopia, & fames, aliique caſus aut ærumnæ affligunt. Sic enim ſubditi vicisſim filiorum inſtar Principi ſuo morem gerent, eumque ſic verebuntur, ut etiam diligant. *Denique* ſi quando ſubditorum manus, atque opera poſcatur ad extruenda vel reſtauranda opera publica, imperet hæc ſubditis opportuno tempore; quo ſcil. ruri pasſim vacatur, non eo, quo ſementis eos, vel agricultura vel mesſis occupat: hoc pacto frugum atque alimentorum copia plerumque ſuppetet; operaque publica ſine publico detrimento alacriter perficientur.„

Facilis a Regulo ad Imperatorem *tranſitus:* itaque feſtinamus *ad ſectionem* Philoſophiæ Sinicæ *poſtremam* de Adminiſtratione Imperii.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA SPECIALIS.

DE

ADMINISTRATIONE IMPERII.

§. 195.

IMperatorem *cœli filium* Sinæ appellant, *quod* ipsorum sententia, cœlitus obtingat imperium, virtutis præmium, præcipue obedientiæ filialis; exemplo Imperatoris Xùn, Legislatoris sui, de quo id diserte prædicat secundus scientiæ Sinicæ libellus classicus fol. 53. Imperator est Cœli filius.

Locum ante allegavimus §. 67.

Tum vero & illa dicti ratio est, *quod* soli cœlo in Imperatorem potestas sit; atque is ipse cœlo obedientiam tanquam filius debeat. In quam rem exquisita est Imperatoris *Tai Çum* antea allegati confessio:

„*Vulgo* dicitur Imperatorem maxime verendum esse, nec habere, quod pertimescat: *At ego sane* vereor providentiam Imperatoris Cœli, quæ ad nos utique pertingit, & simul vereor oculos

Digitized by Google

omnium subditorum ad me unum conversos: itaque sic angor, & sic invigilo mihi ipsi, ut qui nec Cœli voluntati, nec desiderio populi adhuc responderim. „vid. Tab. Chronol. fol. 55.

§. 196.

Consultationes *Y Yn* gravissimæ.

Inter antiquissima gentis monumenta sunt Consultationes *Y Yn* sapientis, qui & durante luctu Imperatoris triennali Tutor pupilli *Tai Kia*, & Imperii eo tempore administrator fuerat, annis ante Christum natum 1750. Ex illis *specimen* dabo, ut salivam *Europæo* lectori moveam, Consultationes illas, si fieri posset, integras evolvendi & perdiscendi. Ita ille ad Pupillum:

„*Regia* persona *supra* quidem habet augustum cœlum, a quo respicitur; *infra* habet populum, a quo item respicitur; *ante* & *retro*, a dextris & sinistris assistunt Spiritus. Res sane maxime pertimescenda. *Cœlum*, tametsi *Regem* uti *filium* habeat, tamen an semper favebit, an aliquando aversabitur, adimetque Imperium, nondum quidem determinavit, adeoque hic non ducitur affectu aut propensione determinata. At vero *si* quidem *Princeps* noverit reverenter se gerere, & obsequi cœlo, si sibi attendere, si in omni motu, actione, sermone, cogitatione ita semper se gerat, ac si cœlum Regem intueatur, ipsique

que præsens assistat, adeoque *ne unicam* quidem *cogitationem* pravam admittere audeat; tum certe hujusmodi mens reverens & cogitatio penetrat ipsum cœlum, moxque cœlum amanter juvat, protegit, dilatatque a se delegatum Imperium. *Populus* item, tametsi mentem & oculos in Regem suum semper habeat intentos, spesque omnes suas in eo collocatas, non tamen populi indoli usque quaque fidendum, cum modo in bonam, modo in sinistram partem flecti queat; adeoque ejusdem subjectio debita non sit quid stabile & immutabile: verum *si Princeps* pietate foveat & protegat *populum*; *si filiorum instar* amet; nec patiatur vel unum vilem homuncionem & mulierculam, qui non gaudeat regia beneficentia: tum sane tam amplæ pietatis cor diffundetur in populum, qui adeo venerabitur, redamabit, seseque ultro submittere gaudebit tam pio & benigno Principi. Quæ cum ita sint, siquidem Rex in dignitate a Cœlo data constitutus vel unam cogitationem non rectam admittat, jam Cœlum Regem fastidiet & aversabitur: Si vel unica res amiserit debitum ordinem, jam populus hoc ipso alienabitur. A Cœlo igitur collata dignitas quam periculosa est & formidabilis! quamvis cum timore, & tremore, & cura assi-

dua indies virtutem accumules, non est tamen, quod tibi promittas felicis exitus securitatem. *Sola* itaque *virtus* sita in veneratione, pietate, veracitate & fide firmat regna & regimen; hanc si negligas jam cœli indignationem, populi dissensionem, spirituum aversionem hoc ipso provocaveris,„ &c.

§. 197.

Status Principum ex sententia Imperatoris *Tai Cum.*

Magnam profecto sollicitudinem Principi sapiens hic injungit: an id præter rationem? Accipe omnia verbis Sinicis: non enim ea mihi prudentia est, ut de meo hic philosophari possim, nec audacia, ut velim. Imperatoris *Tai Çum* dicta prius exhibui; addo novum ejus, atque omnino præstans effatum.

„*Est*, inquit ille, *Principi cor unicum.* Sed qui hoc *oppugnant plurimi:* & alii quidem studio fortitudinis gloriæque bellicæ id oppugnant; alii deliciis & cupiditatibus; hi doctis contentionibus & cavillationibus, adulatione & blanditiis; illi dolis item, mendaciisque non pauci. Tam variis artibus machinisque pugnantium *una* fere *cura* est, ut gratiam Principis acquirant, adeoque opibus & honore augeantur: quisquis ergo de *perpetua* quadam *cordis vigilantia* paulum remiserit, quam pronum erit a se vinci & perire. vid. Tab. Chron. f. 57.

§. 198.

§. 198.

Summam præceptorum regendi aliquoties repetitam deprehendo, præcipue in *sermonibus Imperatorum* ad successores sive filios, sive alienos; Namque aliquando & alienos filiis anteposuerunt. Tale est factum antiquissimi Imperatoris, ejusdemque Legislatoris, *Yao*, qui audito, filium *Tan chu* indignari, quod alienum ipsi Pater præferat, atque in Imperio successorem decernat, Xùn scilicet, respondit: Quousque Populi salus Suprema Lex fuerit.

„Malo uni male esse, ut bene sit toti populo: quam populo male esse, & uni filio bene.„

Idem deinde factum imitatus Xùn, ipse etiam Legislator Gentis, suo quodam exemplo demonstravit, quousque populi salutem supremam Imperii Legem arbitretur.

§. 199.

Quinque autem sunt *bona* Imperantibus commendata a Confucio: *quatuor mala* sollicite cavenda. Desinunt pæne in hoc præcepto sermones Confucii: Tertius enim liber, qui *Lun Yu*, id est, sermones ratiocinantium inscribitur, isto quidem effato concluditur. *Ita* autem *Confucius* ad quæstionem de quinque bonis Imperantium: L. III. P. X. fol. 156. seq. Quinque Bona Imperantium.

„Gubernator Reipublicæ beneficus sit; &

tamen nihil expendat absumatve. Subditis oneri sit, & tamen non sit odio. Desideret, & tamen haut expetat cupide. Sit magnus, sit beatus ac florens, & tamen non efferatur superbia & fastu. Severus & gravis sit; & tamen non sit asper & truculentus.

§. 200.

Explicatio eorum. Satis ista Laconice! Sed vero *elegantior* est *explicatio* postulante lucem discipulo a Philosopho adjuncta; quam integram hic transscribo.

„ Constanter obsecundare, & favere iis rebus & artibus, quæ subditis lucro sint, commerciis & agriculturæ sc. aliisque hujuscemodi, & sic eorum lucra procurare; solerter tuendo & conservando communia illa cœli terræque beneficia; quo tandem fiat, ut magna sit ubique annonæ vilitas & rerum copia: Hoc nonne revera est *esse beneficum*, *&* tamen *nihil expendere*, vel privatæ rei vel publicæ? Similiter si habeas delectum eorum, qui pares sunt ferendo labori & oneri, *&* *oneres illos* duntaxat; si habeas justam & accuratam rationem temporis, ætatis, & virium cujusque ac facultatum, quotiescunque imperandum est aliquid oneris, operisve publici. *Ecquis* hinc *oderit* vel imperata vel imperantem? Quæ juris alieni sunt appetere, nefas ac turpe est: At vero

vero si *desideres* expetasve veram *virtutem*, adeoque si tam laudabiliter expetitam adipiscare, expleasque numeros illius omnes: *quo modo* vitiose *cupidus* sis, aut censeri talis queas? Si Princeps inter flatus illos tam secundos fortunæ faventis constet sibi ipse, & non attendat magnopere ad frequentiam suorum vel paucitatem, ut hanc sc. aspernetur, illi deferat aliquid. Rursus, si non attendat magnopere, gravis ne sint momenti; an parvi res eæ, quas habet perficiendas, sed pari fere cura res æque minimas atque maximas constanter tractet; nullusque sit, quamvis humilis & abjectæ conditionis homo, quem audeat habere despectui: qui hoc modo sibi imperet seseque contineat; nonne quamvis *multa* pace, *opulentia*, gloria beatus ac florens sit, tamen *haut efferetur* superbia? Gravitas denique & severitas, si quidem modo careat, facile degenerabit in odiosam asperitatem, & truculentiam: At vero si Princeps alienus ab omni affectatione hic fuerit mediocritate quadam contentus, e. g. si graviter & decenter compositam gerat suam ipse vestem & pileum; si modestia quadam reverentiaque imbuat suum ipse os oculosque; si in omni motu, gestu, statuque corporis decorum servet: procul dubio cum reverentia plane

ne singulari homines universi contuebuntur eum & verebuntur. Hoc autem nonne est *severum* esse ac gravem, *&* tamen *non* esse *asperum* & truculentum? „

§. 201.

Quatuor Mala Imperantium.

Quatuor autem *mala*, quæ removeri in recta administratione jubet Confucius, eodem loco ita explicat discipulo fol. 157.

„Non docere subditos accurate, quæcunque sunt juris publici, de officiis singulorum; & interim si forte die quopiam deliquerit, illico punire miseros, & prorsus inclementer occidere. *Hoc* enimvero *dicitur tyrannidem* exercere. Ubi quid operis operæque publicæ exigendum est, non ante præmonere subditos, & præparare quodammodo, quo commodius ordinatiusque res fiant: sed obruere miseros derepente, & in ictu oculi videre velle præscriptum opus perfectum atque absolutum, inclementer instando operis & moras omnes severe castigando: *Hoc* enim vero dicitur *crudelis violentia*. Cunctanter frigideque imperare subditis opera publica; deinde vero repentina acceleratione contrahere præstitutum antea temporis spatium, ferociter & inexorabili cum severitate eadem exigendo. Hoc merito dicitur latrocinantis instar, & velut *ex insidiis* oppri-

opprimentis incautos, sic suis esse damno. Denique sordidum & illiberalem esse, e. g. certo quodam modo se gerere cum dandum est quidpiam aliis: e. g. cum sua militibus persolvenda sunt stipendia, suum operariis operæ pretium, sui census & honores conferendi sunt aliis: *Avara* scilicet lentaque & invita *manu*, nunc promentis & porrigentis instar, nunc reposcentis ac retrahentis hoc ipso, quo dat, sordes avaritiamque prodere. *Tam*etsi detur *tandem* aliquando, quod jus cujusque postulat; quoniam tamen sic datur, ut videatur extorqueri verius, quam dari: jam *istud nec gratias* quidem meretur, quod animo datum liberali magni muneris fuisset instar; adeoque non est hoc agere Principem, sed merito dicitur infimæ cujusdam notæ ministellum esse ærarii publici.,,

§. 202.

Alibi vero ostensurus, quomodo in ordine ad Imperium Princeps queat ad summam illam, Sinis maxime commendatam virtutem *Gîn* pertingere: *quinque* iterum *regulas* præscribit; vigilantem sui ipsius observantiam; amplitudinem clementiamque animi; fidem atque veracitatem; assiduitatem ac diligentiam; amorem & beneficentiam; quas singulas a suo quamque fructu commendat, uni- Quinque Imperandi Regulæ.

universas summam absolvere virtutem prædicat. L. III. P. VIII. folio 125. 126.

„*Si* geras Te graviter ac mature semper & ubique: jam non erit, qui te negligat aut contemnat; contra verebuntur omnes & colent. *Si* magni, liberalis, clementisque animi fueris: jam obtinebis omnes; omnium, inquam, studia, amores, voluntates. In verbis factisque fidem *si* præstiteris: jam homines omnes tibi nitentur securi, tuæque fidei se pariter ac sua committent. *Si* velox, impiger, & alacriter sedulus fueris in tractandis negotiis: jam habebis res perfectas; & ad exitum perduces optatum. Denique *si* fueris beneficus & amans tuorum: jam certe sufficiet hoc, ut imperes tuis felicissime.„

§. 203.

Exemplum Imperatoris Xün.

Atque hoc est, quod *antiquis* Sinæ *carminibus* prædicant; extollentes suum *Xün*, quod de omnibus bene mereatur, populo quod suum est tribuens, tribuens & Magistratibus.

L. II. Scientiæ Sinicæ fol. 54. de Imperatore *Xün* ita lego: „Oda ait: O omnium encomiis laudandum jubilisque extollendum perfectum Virum! O quam magnifice resplendet ejus præclara virtus! quæ *populi* sunt, tribuit populo; & quæ *Magistratibus* competunt, tribuit

buit magistratibus. In *omnes* derivat virtutes suas, adeoque de omnibus bene meretur. Ideo nimirum amplissimos recipit Census (Imperium intelligunt) a Cœlo: conservat ac fovet Imperium; adeoque aliis & aliis beneficiis a cœlo dimanantibus, bonisque omnibus cumulatur; & in longam posteritatem amplificatur.,,

§. 204.

Ut autem ad *specialiora* successive transeam: officia erga consanguineos, ministros & familias nobiles L. III. P. IX. fol. 138. ex antiqui Regis ad filium hortatione enarrat Philosophus; *Utrisque* quantum fieri potest *conservandis* intentum Regem esse vult; vetat alienare illos, aut loco movere sine gravi caussa; vetat ista abjici, *census* illis continuari, & *negotia* injungi *talia* præcipit, quibus expediendis sufficiant. Officia erga Consanguineos, Ministros, & familias Nobiles.

„Vir Princeps ac sapiens non aspernatur abjicitve suos *consanguineos* & affines: Non reddit idem præcipuos *Administros* regni sui alienos ab se justæ offensionis odiique causam præbens, quod eis non utatur; repente scil. eos privans dignitate sua; vel ob exigua quædam peccata; vel certe nulla eis facti sui & pœnæ tam gravis data ratione. offensiones, inquam, hujusmodi vitat prudens: Intelligit enim male consultum iri toti corpori,

pori, cujus capiti cum membris suis haud conveniat. *Familias nobiles* ac pervetustas, nisi fuerit gravis & atrox causa, certe non abjicit, sed quotquot ex illis ad gerendam rempublicam sunt idonei, haud cunctanter admonet reipublicæ; qui vero idonei non sunt, suo tamen censu propter majorum merita potiri sinit. Sapiens rex non hoc exigit, ut *omnia* præsto sint *in uno* eodemque homine: sed onera cujusque viribus prudenter accommodans, suos haud secus ac *vasa* tractat, alios ex aliis usus pro singulorum capacitate petens.,,

§. 205.

Quomodo utendum Consiliis monentium?

Quæ adversus recta Monentes magnates officia sint Principum, & qualia facti exempla prostent, superiori sectione ostendimus: præceptum §. 120. Exempla recensuimus §. 185. 186. 187. quomodo aliorum consiliis uti oporteat, *Xun* Imperatoris facto declaratum invenio L. II. Scientiæ Sinicæ fol. 43. 44.

Ibi Confucius: „ *Xun* Imperatoris illius quam magna fuit prudentia! si quidem ille non suo unius judicio & privata prudentia, sed consilio ac sapientia suorum fretus remp. administrabat. Itaque *Xun* gaudebat de obviis quoque rebus *alios consulere*; & solebat seu gaudebat *examinare omnia*, quamvis obvia & vulgaria, suorum responsa; qui, *si forte* quid sug-

ſuggererent *rationi minus conſentaneum*, ſic eo non utebatur, ut tamen prudenter diſſimulans occultaret, quod inerat mali, fovens hoc modo ſuorum fiduciam & candorem monendi identidem Principem ſuum; conſiliis vero, *quæ cum ratione* congruebant, ſic utebatur, ut etiam deprædicaret, quod iis inerat boni, quo alacrius fidentiusque ſenſa animi ſui declararent. Quod *ſi* dicta reſponſa *pauxillum aberrarent* a medio, arripiebat ſedulo illorum duo extrema, quibus ad rationis trutinam mature expenſis, utebatur duntaxat horum medio in ordine ad populi regimen; quo fiebat, ut *non ex ſuo unius* tantum, ſed ex ſuorum judicio ac conſilio ſemper res ageret. Atque *hæc illa* fuere, *propter quæ* factus eſt *Xun*, talis ſc. ac tantus Imperator.„

Rarum & mirabile eſt, quod Annales Sinici memorant, Imperatorem hunc ſolitum fuiſſe in anteriori atrio palatii ſui ſuſpendere *tabulam*, in qua licebat ſubditis fidenter Regem ſuum commonefacere & notare, ſi quid ab illo forte peccaretur.

§. 206.

Quæ circa juſtitiam adminiſtrandam cura ſit Imperatoris, id exemplo, quam præcepto, demonſtrare malo; ideo quidem, quod *ſtrictius exemplum eſt*, quam ipſa dari præcepta ſolent. Ille, quem ſæ- Cura circa adminiſtrationem Juſtitiæ.

pe nominavimus, *Tai çum* Imperator, constitutos a se judices ac Magistratus *munera* vetuerat *accipere*, pœna capitis proposita: Exploraturus ergo suorum fidem, hominem adornat, qui munus præfecto offerat. Hic admittit: Fit ipse certior: jubet interfici. Verum *Colaus:*

„ est ille quidem nocens, inquit, o Rex, sed neque tu innocens, qui eum per insidias ad violandam legem pellexisti.„

Pepercit reo Imperator. Altero post anno cum *Præfectus militum* supremus, *munus* e veste *serica* accepisset, cognita re Imperator ei magnam vim misit vestis sericæ: mirantibus vero aliis & ad supplicium deposcentibus hominem:

„ Supplicium, inquit, acerbius ipsa morte suus illi rubor erit, hoc eum lente cruciari volo.„ vid. Tabulam Chronol. *Coupleti* fol. 54.

Neque minor est *hodierni Imperii* severitas circa hanc partem. Fecit ejus rei triste experimentum R. P. *Magaillanus*, qui Chinam 1636. intravit Missionarius, ibidemque decessit A. 1677. Dedit is Lusitanico idiomate descriptionem Imperii Sinici, translatam deinceps, & Gallice editam Parisiis A. 1688. Ex ea refert Autor Diarii Gallici; „Il fut faussement accusé d'avoir donné des presens en faveur d'un Mandarin privé de sa charge; ce qui est un grand crime dans ce pays-là.

là. On le mit deûx fois à la question pour ce sujet, & bien, qu'il n'eut rien avoué, on le condamna à être étranglé; ce qui auroit été executé, si les Regens qui avoient droit de connoitre de la Sentence, ne l'eussent renvoyé de l'accusation. „ v. Journ. des Savans 12. Juill. 1688. p. 164. edit. Amsteld.

§. 206 *

Quomodo Populus metu filiali regendus?

Populo omni *duo* debet Imperator: exemplum primo virtutis & amorem plane paternum. In utriusque efficacia prædicanda multi sunt Sinenses Philosophi. *Polari stellæ* similis est Princeps bonus, quæ consistit prope immota, dum omnia illam sidera perenni motu circumacta respiciunt. Vitia ejus sunt, ut *defectus Solis* & *Lunæ*, qui latere non possunt. Igitur Principis virtuti *primas* deferunt in regendo populo: Et longo demum intervallo *secundas* concedunt Legibus, terrori & suppliciis. *Illa* dicunt regi populos cum pudore & metu *filiali*: *Istis* cum *servili* metu, sine pudore, & sine criminum ipsorum odio.

L. III. P. I. fol. 10. inquit Confucius: „ Quisquis regit cum virtute, præclaro subditis suis exemplo constanter prælucens, plane est instar *Septentrionalis* stellæ. Ipsa persistit, suo prope immota loco, cum interim reliqua omnia, quæ perenni motu circumaguntur, sidera illam respiciant; „ Atque iterum: A

Rege aut Gubernatore, si dirigantur subditi, atque in officio contineantur *per solas Leges*, qui has tamen non observarint, nihilominus in officio contineantur *per terrores* & *supplicia*: Populus tunc quidem servili metu compulsus abstinebit sese a delictis gravioribus, sed profecto *more improbi* cujusdam *servi*, sine pudore scil. ac vero criminum odio: atque adeo *non diu* in officio persistet; persistet enim violenter, & timore magistro, qui utique *malus officii magister* est. *Contra* vero si regas illos per unam fere virtutem, virtutis ipsemet omnibus exemplum; ad hoc procul dubio se component omnes. Et quoniam non est eadem conditio omnium; neque esse par virtus potest: Tu siquidem prudentia atque humanitate Tuos contineas, si modereris subditos per sua quemque officia, atque ita socies omnes vinciasque; plane fiet, ut teneantur ipsi non modo *ingenuo* quodam *pudore, metuque filiali*, ne peccent, sed ultro quoque & alacriter ad omnem virtutis laudem contendent atque pervenient.,, Parte autem X. ejusdem L. III. inquit discipulus *Cu cum*: Viri sapientis, maxime Principis, peccatum est instar solaris lunarisque defectionis. *Peccatum* enim quod nec celat ipse, & sua quoque peccantis celsitudo prodit & dignitas,

dignitas, homines universi spectant: Ejusdem similiter *mutationem in melius* homines universi suspiciunt & læti deprædicant. „

Non illa in cassum promitti a Philosopho Imperantibus, exemplo testatus est antiquo ævo populus Sinensis. Mortuo enim Imperatore *Yao*, uno e tribus Sinæ Legislatoribus, memoriæ proditum est, quod *popu'us* illum *luxerit per triennium*, velut patrem solent atque matrem lugere. Et quæ alia sunt ejusdem affectus specimina. vid. Tabulam *Coupleti* Chronologicam fol. 3. in fine.

§. 207.

Intelligitur, eodem affectus Paterni fonte scaturire præcepta *de suppliciis*, quæ *rara*, quantum fieri potest, & *temperata* per clementiam esse volunt Philosophi Sinæ. Malunt caveri peccata; bonis quidem exemplis præeundo; quam incidere in necessitatem puniendi. Est locus, quo arbitratur Confucius, si integro seculo imperium bonis administretur Regibus, posse eo provehi populum in virtutis studio, ut pœnas liceat, & supplicia abolere. Dedimus illum in antecedentibus; Dabimus hic argumenta Philosophi, quibus suam de suppliciis theoriam confirmat.

Quomodo utendum suppliciis?

L. III. P. VII. fol. 90. „ Ordine officiorum, mutuaque omnium concordia non

vigentibus *pœnæ* ac supplicia *non* attingent scopum a legibus constitutum. Suppliciis hoc modo a legum scopo aberrantibus; tum populus infelix, incertus quid prosequatur, aut fugiat, plane non habet, ubi tuto collocet pedes manusque. „ Discipulus igitur Confucii *Çem çu* P. X. fol. 143. ad suum porro discipulum, *Yam fu*, judicem criminum, & custodiæ publicæ præfectum, sciscitantem scil. qua ratione gereret injunctum sibi munus? ita respondet: „ *Hoc tempore* superiores Magistratus, quos oporteret optimis exemplis prælucere ceteris, passim deflexerunt a propria ipsorum recte vivendi & gubernandi via ac norma: Populus igitur quod item aberret, quod dispergatur studiis sententiisque male distractus, jam diu est. Si ergo, dum causas & crimina singulorum examinas, compereris, ea hoc modo se habere, id est, si Tibi constiterit de natura causisque criminum, quæ vulgo committuntur: tum, *licet* qui rei sunt, *non possint non plecti*, semper *tamen* utere *commiseratione* & clementia, & nequaquam lætare, quasi placens tibi ipse, qui latentia miserorum crimina callide detexeris: sed *memor* esto, *non omnem* culpam penes ipsos esse; utpote quibus ignorantia sua, nec non supe-

pe-

periorum prava exempla fraudi fuerint. * „

§. 208.

Portento simile est, quod de sapiente *Chao cum Xe*, Imperatoris *Vu vam* Ministro Annales produnt, illum tanta felicitate Memorabile Exemplum de Captivis.

Q 4

* Memorabile est, quod ad hunc locum annotant RR. Editores: „*Tria omnino millia criminum esse docet alibi* Confucius, *quibus sua pro cujusque gravitate decreta sunt supplicia. Celebris est* Xùn *imperatoris moderatio & clementia, qua* Præsidibus populi *alia atque alia dans præcepta, concludit identidem his verbis*: Gueì hîm Siô çûi, *id est, eos a quibus pœnas exigitis, miserari vos volo.* „ Equidem varie judicari potest de hac criminum multitudine. Potest illa cura enumerationis esse laudabilis, & apta cavendis criminibus non minus, quàm delictis levioribus: potest esse captiosa, & illaqueandis innocentibus aut imbecillibus accommoda. Postremum hic non suspicor, ex theoria de suppliciis mitigandis leniora conjectans, & prudentiora. Vellem autem, ut *catalogus* exstaret in libellis nostris, addita simul historica relatione, quousque & quo ordine Civilibus judiciis licuerit illarum Legum observationi invigilare? Est hoc *maximi momenti* argumentum in negotio condendarum Legum Civilium, in quo considerari ut quam maxime debet, quousque naturalia assequi præcepta, & eorum curam quoque Civilem habere liceat. Non id prolixius hic edisseri potest, alieno loco: qui veram de Legislatione Civili, ad naturalem accommodanda, sententiam tenent, facile plura per se ipsos intelligant. Interim, si placet, vel hoc exemplo judicent lectores, an usui esse possit in Republica institutum, quod §. 9. ex Consilio *Viri Illustrissimi* indicavimus?

licitate & industria *Boreales* Regiones sibi commissas administrasse, ut sementis ac messis tempore e vinculis dimitteret reos omnes: & hi constituto revertendi tempore sua sponte ad carcerem redirent; etsi non deessent rei capitis vid. L. III. P. IV. fol. 50. Idem longis postea temporibus denuo accidisse sub imperio *Tai Cum* Regis, eorundem annalium fide in Tabula Chronologica fol. 55. R. P. *Coupletus* narrat: Septimo enim regiminis sui anno adiisse legitur custodias publicas, eas per seipsum lustraturus; dimisisse etiam trecentos & nonaginta capitis reos, addito, ubi messem collegissent, reverterentur in carcerem: Reversis ad unum omnibus admirabundum ac lætum Principem cum vita libertatem donasse. Amplus hic *conjectandi campus* est: *An ideo* reversi omnes, *quod* elabendi occasio negetur, in regno virtuti dedito? *quod* receptum nemo præstiturus fuisset? *quod* emendati, agnita culpa, pœnam lubentes subeant? *quod* fallere Principis fiduciam noluerint? *quod* futuræ impunitatis spem ex sua sibi obedientia promiserint? Non licet autem indulgere suspicionibus, ubi circumstantias nosse non contingit. Illud hoc loco attendere placet, *dimissos messis* & sementis *tempo-*

rei

re: primum enim id est in populi cura, ut annonæ Princeps prospiciat.

§. 209.

Nihil dici aut cogitari potest tenerius, illis Imperatorum quorundam factis atque effatis, quibus fame & inopia pressi succurrerunt populo. Imperatoris *Yao* vox refertur: L. I. fol. 21.

Officia tempore famis, ex Imperatorum Exemplis.

„Fames populi mei, mea est: peccatum populi mei, meum item est.„

Tai Çum, cum *locustæ* grassarentur, jamque fames timeretur, ingemiscens ait:

„Ex messe, quam vos absumitis, pendet vita meorum; at quanto malim consumi a vobis viscera mea.„

Eoque dicto, unam locustarum vivam deglutivit: Narrant autem annales, locustas eo anno stragem messi vix ullam intulisse. vid. Tab. Chronolog. fol. 54. Alius *Xi Çum* seculo post Christum natum decimo, cum ingens esset sterilitas, jubet vendi orizam regiam vili pretio & nonnisi postea persolvendo: Dicentibus Præfectis, nunquam adeo pauperes fore solvendo:

„At, inquit Imperator, nescitis me Patrem esse, ipsos vero mihi filios? quis autem vidit patrem, qui filio fame laboranti opitulari nolit, nisi cum onere pretii rependendi? „Tab. Chron. fol. 67.

Denique *Gin Çum*, recentior, seculi

demum decimi quarti exeuntis Imperator, audiens in provincia aliqua laborari fame, protinus eo ire *Colaum* jubet, ut medeatur. Postulante illo, ut Concilia duo Regia prius consultentur:

„Facessant, *inquit*, moræ istæ ac deliberationes: Populo namque laboranti, tanta cum celeritate opitulandum est, quanta concurritur ad commune restinguendum incendium, vel repentinam aquarum illuvionem reprimendam.„

Postulantibus aliis, ut ratio habeatur diversitatis locorum & hominum magis minusve egentium:

„Habeatur, inquit, veruntamen sic, ut a minutiis abstineamus, & dum opitulandum est tantæ calamitati, non vereamur peccare quodammodo largitate. „v. Tab. Chron. fol. 81.

§. 210.

Promtitudo Imp. Yu in audiendis afflictis.

Elegans hæc festinatio est & teneri affectus index: nescio tamen, an *ullum majus exemplum* esse possit alacritatis in jucunda subditorum & præcipue afflictorum causa supremæ & incredibilis, quam illud est Imperatoris *Yu*, cujus hæc ad filium verba hortantis recensentur: ,L. III. P. IX. fol. 138.

„Scis, fili mi, quod ego *Ven vam* Regis sum filius, quod idem *Vu vam* Imperatoris frater, quod patruus ac tutor *Chim Tam* Imperatoris: & tamen cum talis sim

sim ac tantus, non dubitavi, *ter* uno die *ex balneo*, ubi forté corpus curabam, prosilire, soluto etiamnum capillo, & inter eandem refectionem *ter*, ad signum, quod dabatur, *a mensa* surrexi, non alia de causa, quam ut meorum vel querelis vel postulatis aures præberem.„

Nimirum, si fides est annalibus, *aes campanum* jussit erigi Imperator Yù, in ipso palatii sui atrio: ad cujus primum pulsum suos auditurus alacer provolabat. Itaque accidit aliquando, ut *prandii unius* tempore *decies* a mensa surgeret: e balneo item, ubi corpus lavabat, semel iterumque ac tertio procurrerit; & quidem soluto & impexo etiamnum capillo, ut scil. ad primum campanæ signum suorum vel postulata vel querelas audiret. *Verba* dedi *Editorum*, qualia ex antiquis monumentis hausta *Tertii* libri *quarta* parti subjunxerunt fol. 52.

§. 211.

Sed *finiamus* aliquando & in *praceptis* quidem *magis politicis*. Pertinet eo cura *ærarii regii*. Generalia sunt: Probum Regem non in suo unius privato lucro, sed in sua & populi mutua æquitate & amore constituere lucrum: exornare divitiis personam, non divitias persona, id est, omnino satagere, ut populo sit opum satis, eoque ipsius regimen celebre-

De Aerario Regio.

lebretur, nequaquam corradere opes pro ærario, neglectis populi ærumnis & necessitatibus; eo autem facto & populum, Principi fidelem, habere regii ærarii divitias pro suis, ac velut suas in pace conservare, defendere in bello. Sunt hæc ipsa Philosophi Sinici verba L. I. fol. 35. obvia, neque igitur testimonium prolixius exscribere convenit.

§. 212.

Modus augendi ærarii.

Specialiter, *augendo* ærario *regulas* commendat Philosophus non solum a vitio remotus, sed conjunctus etiam cum virtute; primo *vult* omnes occupari laboribus publico utilibus, nemine otioso; *vult* comedere paucos, hoc est, Censûs erogari supervacaneos vetat; *vetat* imperari aliena, cum agriculturæ opportunum tempus adfuerit; *vult* denique adhiberi moderationem in sumtibus eam, qua *singulis tribus* annis *unius* anni reditus ærario supersint, auctarium futuri in posterum.

Verba sunt L. I. fol. 34. „*Augendi opes*, facultatesque *Regias* datur magna quædam & eximia *regula*: inprimis *si*, qui *pariunt* & augent illas, sint *omnes*, nemine otioso relicto, sed omnibus agricultura aut honesta negotiatione occupatis. Contra Præfecti ac Ministri, qui *comedunt*, seu reditus suos annuos percipiunt ex illis regiis opibus, sint *pauci*,

ci, resecta videlicet supervacanea officiorum ministrorumque multitudine, quæ censu regio alitur. Præterea si, qui laborant & agros colunt, *strenue operentur*, congruo scilicet agriculturæ tempore non ad alia distracti, sed in uno agriculturæ opere solerter occupati. Si demum, qui utuntur illis, seu, qui *dispensant* regias illas opes, lenti moderatique sint, *provida* scilicet *parsimonia* longius *in futurum* ita prospiciendo & comparcendo, ut *qualibet*, e. g. *trieteride*, unius saltem anni censsus supersit, quem regio ærario in perenne auctarium adjiciant. *Hac* quippe *ratione* futurum est, ut opes, facultatesque regiæ *semper* sufficiant.„

§. 213.

Modus pro piciendi alimentis Populi.

Sunt illa pro ærario monita: *pro populo*, præcipue pro plebe, & negotiatione illi accommoda & conservatione ejus, & facili alimentatione alia prioribus illico subjungit Philosophus, Libri editor, ex antiquo Præfecti cujusdam consilio; verbis, ad *Sinica officiorum discrimina* attemperatis. Sunt enim alii Optimatum, qui *Tá fu* dicuntur, quadrigis, seu quatuor equorum curribus vehi soliti: Alii *Kím* dicti altiores prioribus, qui in officiis Parentalibus glacie utebantur: Alii eodem nomine *Kim* dicti, sed potentiores, Satrapæ Regulo-

rum,

rum, qui decem ſtadiorum Sinicorum ditionem vectigalem habebant, poterantque 100. curribus bellicis, cum neceſſitas erat, in campum prodire. Omnibus officia præſcribit Philoſophus. *Prioribus* negat negotiationes humiles, humili enim & modico quoque lucro vivere populus poteſt & ſolet: Tranſeunte illo ad majores, eosdemque cenſu regio fruentes, pluribus alimenta decedunt, neque accedunt divitiæ multis. *Poſterioribus* grave monitum inculcat de vectigalium moderatione & cauſſis.

Verba hæc ſunt: L. I. fol. 36. „*Mém hien çù* inquit: *qui alunt quadrigas*, quandoquidem Regio vivunt cenſu, non tractant *gallinas* & *porcellos*, magnam ſcil. horum vim ac numerum in privatæ domus ſuæ lucrum alendo, & præripiendo ſuum *plebi*, cujus *hac eſt propria* negotiatio. *Findentium* item *glaciem* familia, quia ampliore, quam Optimates gaudent cenſu, nec ipſa alat *boves* & *oves*, numeroſos ſcil. bovium oviumque greges alendo, ſordido quidem domus ſuæ lucro, *damno* vero non mediocri miſeræ *plebis*, quæ captato ex humili ejusmodi negotiatione lucello vivere ſolet. *Centum* denique *curruum familia*, non alant, foveantque domi ſuæ *aggravantes vectigalia* miniſtros, qui

præ-

prætexto vectigalium nomine subjectum populum immaniter deglubant, suisque facultatibus exuant. Quod si ille satrapa domi suæ forte habeat ejusmodi injuste multiplicantem vectigalia ministrum, satius illi foret habere *palam deprædantem* gazophylacium, thesaurosque suos domesticos ministrum; *hic* enim *uni* duntaxat, *ille plurimis* nocet. Qui igitur fieri potest, ut communem ejusmodi *regni latronem*, populique sanguisugam, subditorum sudores & sanguinem crudeliter adeo haurientem, domi suæ patiatur?

§. 214.

Gravis hæc oratio est adversus nimiam vectigalium exactionem; namque exactiones omnes ita temperari volunt Sinæ, ut ne populo decedat opum abundantia, & in Principem fides. Ita enim fieri putant, ut facile populus ingruente necessitate sua omnia pro Principe & patria exponat. Eo pertinent verba §. 211. indicata. Eo pertinet sermo discipuli satis abruptus, speciali scil. quæstioni responsionem reddens generalem. Accipe illum, ut refertur L. III. P. VI. fol. 81. Ibi: De Exactionibus.

„*Ngai-cum* duodecimus Regni *Lu* Regulus quæsivit a *Confucii* discipulo *Yeu-jo* dicens: Anni steriles sunt, & quibus fame laboratur, ad usus autem meos, non suppetunt sumtus necessarii: quid remedii?

ad virtutem debere *antecedere* disciplinam militarem. **ordine suscipienda?**

L. III. P. VII. fol. 97. „Vir probus & integer, si doceat populum, quod officii sui est sive erga parentes, sive erga Principem, idque si doceat per 7. annos: hinc etiam poterunt cives & subditi rei militaris periti evadere. Adhibere autem **nec dum probe instructum virtutibus** populum ad rem militarem, id profecto jure dicitur abjicere suos & gravi periculo patriam exponere.„

Postulat peritiam vero militarem quoque, & rei publicæ necessariam arbitratur, adeo quidem, ut de recta gubernandi ratione quæsitus, *tria hac conjunxerit:* sit affatim annonæ: sit affatim militum, & rerum ad bellum necessariarum; inter populum & Principem vigeat fides. Conjunxerit, dico, sed & *subordinaverit*, ita quidem; ut si omnia obtineri possint, primo milites, deinde vel ipsam annonam potius, quam mutuam populi & Principis fidem dimitti posse & debere suaserit. Locum exhibuimus §. 34. ex L. III. P. VI. fol 80.

§. 216.

In pace etiam de bello cogitandum esse, eleganti comparatione suadent. Exemplum est illius, quem sæpe dixi, *Tai Çum* Imperatoris, qui bellum arbitratur *morbum* esse, cui semper atten- **Cur in Pace cogitandum de Bello?**

di & remedia præparari conveniat. Dictum est Imperatore dignum; cum ita Ministros alloquitur:

„*Rex* est *instar medentis morbo.* Discordia, perturbatio, bellum Imperii est morbus, qui tametsi jam depulsus sit ab Imperio meo, magna tamen populi convalescentis habenda est cura, ne relabatur in pristinum morbum, & cui deinde nulla queat mederi industria. *Pax alta* nunc terras obtinet; parent nobis Barbari: *nec tamen* sollicitus esse desino, ut primis ultima respondeant, quocirca vos docete me, monete, reprehendite.„

Cordatum vero & prudens est quoque responsum Colai *Guei Chim*, superius jam allegati:

„Ego quidem, o Rex, non tam gaudeo de pace florentis Imperii, quam quod pacis tempore periculi vivas memor.„ Vid. Tab. Chron. fol. 55.

§. 217.

Quomodo bellum geri debeat?

Bellum ipsum vero sic geri volunt, ut *abstineatur*, quantum fieri potest, *cædibus innocentium.* Philosophari etiam hic per exempla licet. Seculo post Christum natum decimo, imperante alio quodam *Tai Cu*, obsidebat *Cao Pin* Belli Dux Urbem *Nan Kim*; videns Imperator, non diu posse illam resistere, morbum simulat. Anxii Præfecti visunt decumbentem. Remedia alii alia coram suggerunt. Tandem ille: „Non

„Non aliud morbo meo remedium magis præsens, quam ut juramento vos obstringatis, a civium cæde prorsus abstinere. „

Juratum est: Convalescit ipse: urbs capitur, nec sine vi & cæde, tametsi modica: Sed hæc ipsa Imperatori quoque elicuit lacrimas & hanc simul vocem:

„Miseranda conditio bellorum, quæ nusquam vacat cædibus etiam innocentium.„

Jussit igitur extemplo dispertiri in cives 100. mille modios orizæ.

§. 218.

Quomodo bonus Princeps *novum Regnum* in se translatum susceperit, & collapsum restituerit, exemplo Imperatoris *Vu vam* docet Confucius: Novum Regnum quomodo administraverit *Vu vam?*

„Post vota solenniaque sacrificia Imperatori cœlorum, reliquisque Spiritibus terrarum præsidibus rite persoluta, primum quidem arma omnia machinasque bellicas collegit ac reclusit: tum carceres & custodias pandi jussit, ac reos criminum dimitti: omni denique studio & industria conatus fuit opitulari populo fame, inopia, variisque calamitatibus laboranti: Eos interim, quorum insignia quædam extiterunt merita, magnis augens honoribus opibusque; sic ut verissime dici queat, quod domus Impe- Beneficentia universali:

ratoria *Cheu* in exordio & fundatore suo exercuerit *erga omnes* omnium ditionum suarum homines *magnam* & inusitatam *liberalitatem* & beneficentiam; longe tamen maximam erga eos omnes, qui a fide, probitate, sapientiaque maxime commendabantur. Itaque *optimus quisque*, pergit Philosophus, *tunc* fuit *ditissimus*; amplissimis, inquam, honoribus amplissimoque censu instructus & ornatus.,,

§. 219.

Emendatione mensurarum & Legum. Iterumque post pauca interjecta: „ Non ignarus, quantum vitii irrepsisset in rempublicam, ante omnia plurimum studii vigilantiæque posuit in *ponderibus* ac *mensuris* ad æquitatem normamque pristinam revocandis. Examinavit item *Leges omnes* & constitutiones, tam eas, quibus officia ritusque & jura civium, quam quibus res, artesque * Musicæ continebantur.

* Jejunum id forte Nostratibus videbitur, Musicæ restitutionem hic inter tanti ponderis merita referri. Aliter statuet, ubi præceptum audierit Çù su discipuli Confuciani L. II. fol. 81. ibi: „Tametsi quispiam habeat Priscorum Regum dignitatem, si tamen careat eorundem virtute, ne is tantum sibi tribuat, ut audeat instituere novos ritus, & novam musicam, quia virtus est condendarum piarum legum fundamentum: Tametsi etiam quispiam habeat regias illorum virtutes, si tamen careat regia eorum dignitate, item nec is arroganter ausit instituere

tinebantur. Ad aulam quoque & dignitatem pristinam *revocavit*, erexitque dejectos ac afflictos sub impio *Cheu* Præfectos Urbium & Provinciarum. Atque ita renovatis & constitutis præclare rebus quatuor regionum, id est, toti-

R 3 us

stituere ritus & musicam. Hoc enim spectat duntaxat ad eum, qui unà sanctus sit, & Imperator. Non licet hic adjungere, quæ ad locum præsentem commentantur RR.PP. Editores, & quibus omnino illa luculentissime firmantur, quæ supra diximus de ratione Musicæ inter Sinas usitatæ, & influxu illius in animos humanos. Pauca saltim verba accipe; „Priscorum musicam instituentium cura omnis & studium non ad privatam Principum oblectationem referebatur, sed vel maxime ad juventutis & populi totius rectam institutionem, eratque tum aliarum virtutum, tum inprimis concordiæ subditorum inter se suoque cum Principe suavis & domestica magistra. Quo vero illa plus auctoritatis haberet & fidei, non ab aliis quam ab ipsis Imperatoribus institui poterat & vulgari: sed inter hos quoque non unicuique Principum fas erat, rem tantam suscipere, sed iis duntaxat, qui eximiam plane virtutem cum Imperatoria dignitate conjunxissent. Et illa quidem quanto mox in pretio haberetur, hinc potest intelligi, quod ad spectatæ virtutis Regulos deinde missa magni cujusdam muneris instar obtineret. Is autem, cui componendæ Musices, & in lucem usumque publicum edendæ, nec non statis temporibus coram Principe & Optimatibus Imperii decantandæ cura demandabatur, haud quaquam humilis aut mediocris conditionis vir erat; ad Mandarinos superioris ordinis, & quidem vitæ integræ, sapientiæque non vulgaris Viros cura ista pertinebat.„ &c.

us Imperii Administratio optatissimum cursum habuit.„

§. 220.

Restitutione familiarum Nobilium, & sapientum.

„Restauravit *exstinctas* ab antecessore *satrapias*, & restituit dominis legitimis. Revocavit *pervetustas*, sed pene deletas *prosapias* priscorum Imperatorum *Hoam ti*, *Yao*, *Xun*, & *Yu*, hoc agens, ut tam illustris maximorum hominum progenies non tantum ipsa quam diutissime floreret, sed memoriam quoque majorum suorum maximo cum splendore & usitatis cum officiis muneribusque parentalibus rite pieque conservaret; adeoque mortuis quoque parentibus filiorum tamen pietas & observantia semper viveret ac perennaret. *Erexit* praeterea admovitque gerendae Reip. jacentes & latitantes *viros virtute* ac sapientia *insignes*: sed qui ultro dignitati suae renunciantes, ex superiore illa tempestate perturbati Imperii ad otium privatae vitae, ceu portum cauti perfugerant.„

§. 221.

Effectus hujus solicitudinis.

Effectum curae hunc exhibet Philosophus: „Hunc autem in modum consuluit optime Rebus Imperii totius, populus subdidit sese ultro & ex animo, eoque promtius voluntates suas ac studia cum studiis optimi Principis omnes conjunxere, quo felicius sibi cum illo jam convenire, ceu membris obsequentissi-

mis

mis cum suo dilecto capite intelligebant.„

Prolixior adhuc locus est, quam ut integrum describere liceat, ad finem properantibus.

§. 222.

Unum hic speciale præceptum adjungo, coronidem deinde operi impositurus, generali iterum consilio. Est inter Nostrates Philosophos Theoretice Politicos controversia: Num *crescens vicini* Principis *potentia* legitimum inferendo bello argumentum præbeat? *Negat* id *Confucius* & servando regno inter alia, etiamsi præpotentia intermedio regulas & artificia præscribit minus violenta. Cum enim discipulus sui Principis factum in suscipiendo adversus finitimos bello tueretur eo colore, ditionem bello petitam esse fortem & munitam posse in dies munitiorem evadere; nunc quidem infestam non esse viciniș regionibus; posse id futuro tamen tempore usu venire; itaque cum tempus & fortuna faveat, prospiciendum esse rebus & occupandam illam a Domino suo, antequam filiis & nepotibus sit exitio: illi Philosophus inter cetera hæc opponit L. III. P. IX. fol. 117. **Remedium contra Vicini potentiam.**

„Audi quid sentiam. Ego sic audivi semper, eos qui habent Regnum vel Dynastiam, vel qui habent amplam splen-

didamque familiam, si quidem probi sint ac sapientes, non solere angi animo & discruciari paucitate subditorum, quibus imperitant; sed discruciari & angi, quod non obtingat suum cuique, prout jus & ratio postulat: audivi item, non angi illos, quod penuria rerum laboret sua ditio, sed angi & affligi, quod non fruatur optata pace & concordia. Et merito sane, quippe si tollantur expensæ inutiles, si luxus immodici prohibeantur, & cuique tribuatur, quod æquitas postulat, quamvis alii aliis opulentiores futuri sint, non erunt tamen inopia vel mendicitate laborantes. Ubi item viget concordia, ibi nulla est paucitas, ibi vastitas nulla. Quamdiu vero fruentur concordia, fruentur & pace, quæ ex illa nascitur. At vigente pace & tranquillitate, nullus erit ruinæ locus, vel gravioris cujusque calamitatis periculum.„

Videtur mihi non tam ad ipsam quæstionem respicere Philosophus, quam ad fontem ejus. Quis enim nescit hanc esse conquæstorum sententiam (der Conqueranten) ut nunquam desint speciosæ & justificæ, quas vocant, bellandi caussæ. Exhibet tamen & Philosophus exemplum, quod proprie ad vicinorum potentiam pertinet.

§. 223.

Simile enim priori consilium facto Philosophus complectitur L. III. P. VII. fol. 99. ubi de Regno *Chim*, ait, esse id *modicum* & *inter* duo *prapotentia* Regna *Çin* & *Cu* situm medio loco: virtute autem ac prudentia Principis sui *Hien Cum* dicti & fide, concordia, solertiaque Ministrorum feliciter conjuncta non invictum modo perstare adversus ambitionem potentiamque vicinorum; sed etiam pace opulentiaque florens & beatum. Exemplum rei.

§. 224.

Non est illud nostris moribus hominis *Scholastici* munus, ut indulgeat sibi, & de rebus ejusmodi largiter peroret. Memini dictum *Hannibalis*, qui Sophistam coram se de bello fabulantem audiens, multos se insanientes senes vidisse profatus est, nullum, qui audacia præsentem vinceret. Itaque abstineo a judiciis, atque in universa hac sectione transeo epicrises. Excusatio omissarum Epicrisium.

§. 225.

Confuciana illam *sententia coronare* licet: eaque opusculum obsignare. *Novem* sunt *regulæ* a Confucio commendatæ Regibus. Dico commendatæ; quoniam & utilitatem earum prolixe explicat, & media tradit, quibus eæ observari atque exerceri possint. *Longior locus* est, *sed* Novem Regulæ Imperantium.

 omnino

omnino *talis*, ut universam eo tractationem nostram liceat absolvere. Ita autem ille L. II. Scientiæ Sinicæ fol. 63. & seqq. „Quicunque moderatur orbis Regna, habeat has novem regulas, & præcepta vulgaria quidem, sed observatu necessaria; Videlicet 1. Excolat virtutibus *seipsum*: 2. Colat *sapientes* & probos viros. 3. Observet & amet *parentes*: 4. honoret & in pretio habeat *præstantiores Ministros* & præcipuum Magistratum gerentes; 5. Accommodet sese ad voluntatem reliquorum Ministrorum, seu *Præfectorum minorum*; quos ut membra sua autumet: 6. Filiorum instar diligat *populum* ac vulgus promiscuum, congaudendo gaudenti, condolendo dolenti: 7. accersat plurimos omnis generis *artifices* ad commune Regni emolumentum: 8. Benigne ac comiter excipiat & protegat e longinquo *advenas* & adventantes hospites: 9. Denique amanter ac impense foveat & cordi habeat Imperii *Regulos* & Dynastas, quo fiat, ut concilietur eorum erga Regem & amor & fides.„

§. 226.

Utilitas Regularum ex Confucio. „Si igitur rex novem prædictas regulas observet, *plurima* equidem toti regno *emolumenta* consequentur: Nam si 1. excolat virtutibus seipsum, mox Lex & Regulæ illæ universales Regis exem-

exemplo vigebunt: Si 2. colat Sapientes, adeoque horum multo usu consilioque utatur, jam non hæsitabit perplexus in negotiis suscipiendis & perficiendis: si 3. observet & amet parentes, jam & inter reliquos consanguineos, e. g. patruos, fratres majores natu & minores non erunt querelæ aut simultates; sed concors amor in bonum totius familiæ conspirans: si 4. veneretur & in pretio habeat præcipuos Ministros, jam non caligabit, nec erit anxius trepidusque in Regni sui administratione, tametsi forte discrimen aliquod ingruerit; aderunt enim atque opitulabuntur Principi suo spectatæ virtutis invictique roboris Viri, non consilio tantum, sed manu quoque prompti: si 5. gregales Magistratus, sese iis accommodans, veluti corporis sui membra autumet, jam & hi, & qui erunt Ordinis superioris Præfecti reddent, obsequia sua impensius cumulatiusque, & universi correspondebunt Regi cum omni fide & sinceritate: si 6. filiorum instar amet populum, tunc populus animabitur, atque excitabitur vicissim ad redamandum tam beneficum sibi parentem: si 7. fama tanti Regis accersiti adveniant plurimi cujuscunque generis artifices, tunc & divitiarum ad utendum, & rerum ad communes usus necessariarum affatim erit: si 8. benigne excipiat

e lon-

Digitized by Google

e longinquis regionibus adventantes advenas, mox circumjacentium quatuor terrarum populi ultro ad ipsum se conferent, & gaudebunt subesse tam humano & benigno Principi: Si 9. impense diligat ac foveat Regulos, hos vicissim habebit sui amantes, sibique devinctos, adeoque auctus ipse tantis opibus, tantaque potentia, jam toto orbe formidabilis erit.„

§. 227.

Modus eas observandi.

Confucius enumeratis fructibus, qui ex novem prædictis Regulis nascuntur, *tradit* hic *modum*, quo eædem ad praxin reducantur, dicens: „1. Si Rex a vitiis abstineat, si purus & immaculatus interius, & exterius gravi & se digno cultu induatur; si illicita, & quæ repugnant rationi, non attingat; hæc nimirum ea sunt, quibus Regia excolitur persona: 2. Si procul repellat a se detractores, & procul absit a venereis; si vilipendat opes ac facultates, & magni pendat virtutem; hæc ea sunt, quibus animantur, & excitantur ad imitationem sapientes virtutum sectatores: 3 Si in pretio habeat ac veneretur & foveat suorum parentum dignitatem, suo Regio censu augeat eorum privatos reditus, eadem amans & odio habens, quæ illi amant aut oderunt; hæc ea sunt, quibus animantur reliqui ad amandos item parentes ac propin-

pinquos: 4. Si Præfectorum inferiorum magnum numerum habeat, & qui majoribus subordinati ex officio minora quæque negotia administrent: hoc est id, quo animantur superioris ordinis Præfecti, ut illorum opera industriaque usi munus suum felicius exequantur: 5. Si suis Rex ministris fidat & credat, & pro cujusque meritis ampla conferri jubeat stipendia, hæc ea sunt, quibus animantur regii ministri ad impensius suo Principi serviendum: 6. Si tantum congruis temporibus (non iis scilicet, quibus aut agri colendi sunt, aut messis colligenda) occupet populum, & moderetur vectigalia, hæc ea sunt, quibus animatur populus ad amorem promtamque obedientiam: 7. Si quotidie examinet, & quovis mense per se ipse exploret, an operariorum merces & alimenta ex regiis educta horreis respondeant operi, hoc est id, quo animantur opifices ad impensius laborandum: 8 Si Rex debitis officiis prosequatur abeuntes advenas, & benigne ac comiter excipiat adventantes collaudando aliorum præclaras dotes, quando his instructi sunt, utendo illis ad munia publica, & miserando aliorum, qui forte tenuiores sunt, imbecillitatem, hoc est id, quo benigne tractantur e longinquo advenæ ac peregrini: 9. Si usque & usque perpetuare

seu

ſeu conſervare ſtudeat Regulorum intereuntes jam prope familias ſubſtituendo alterum ex eadem familia in demortui locum & dignitatem; Si inſuper ſtudeat erigere & in priſtinum ſtatum reſtituere, eorumdem collabentia regna, moderando compeſcendoque ſeditiones vel tumultus obortos, & propulſando ſiſtendoque imminentia pericula; Item ſi, dum celebranda ſunt Regulorum Comitia, & excipiendæ eorumdem Legationes, juxta ſtatuta dumtaxat tempora id faciat (non immutando communem in hoc praxin, ne ſit oneri Regulis); Si item laute ac ſplendide tractet abeuntes, & non cupide, ſed regia cum moderatione excipiat adventantium munera (quod erat Regum priſcorum dictamen) hæc ea denique ſunt, quibus amanter foventur clientes Imperii Reguli.„

§. 228.

Concluſio ſectionis. Sufficiant illa vero ad inſtitutum præſens; quoniam, niſi fallor, intelligi ex iſtis poteſt, quæ fuerit Sinarum in doctrina Morali & Politica ſollicitudo? quam arcte Imperio virtutem & virtuti auctoritatem conjunxerint? Utinam plura gentis prudentiſſimæ documenta inter Noſtrates exſtarent; fieri enim non poſſet, quin ſubinde præceptis aut exemplis aliqui excitarentur ad virtutem. Scio, quam non omnia ad noſtra quadrent tem-

tempora: ſed vero neque illud ego poſtulaverim, ut Sinas noſtri imitentur ſimpliciter; neque illud quisquam negaverit, poſſe plurima leviter inflexa adhiberi utiliter, aliqua etiam longius a noſtris recedentia moribus ad noſtros tamen uſus reduci, Sed ego Prudentioribus illa facile relinquo; quibus ubi conatum approbavero meum, ſufficiens id operæ meæ pretium exiſtimabo.



EPILOGUS
DE
COMPARATIONE
DOCTRINÆ SINICÆ
CUM
PHILOSOPHIA ET
THEOLOGIA MORALI NOSTRA.

§. 229.

Excusatio brevitatis.

ENarravi hactenus, etsi *breviter* & in specimine solum, quæ *præcipua* mihi visa sunt Scientiæ Sinarum moralis & politicæ præcepta e tribus primis eorum libellis classicis, Confucii dicta & facta complexis, petita. Possent illa *cultius* proponi, atque in formam elegantiorem transfundi; possent explicari planius, & fulciri argumentis, & defendi ab objectionibus, & ornari consectariis, & amplificari collatione

latione aliarum sive gentium sive Sectarum philosophicarum. *Non* id *hac vice* licuit festinabundo, & in promulside tantum exhibenda versanti: Liceret, si integro Systemati condendo operam applicare, & subsidiis frui amplioribus & liberiori otio contingeret. *Malo* autem, ut brevitatem Lectores accusent, & requirant plura, quam ut indignentur prolixitati. *Memcium* totum oportuit prætterire sicco pede; rationem dedi §. 19. Solum hic *Confucium* potui attendere: sed multum sane abest, quo *minus* illum hic *exhaustum* putes. Quicquid hic vides, jam dixi, specimen est, non tamen pessima complexum, neque tantum vulgatissima. Exhibui præcepta ex optimis: Supersunt *alia* tamen *ejusdem* meriti & ponderis. Esset operæ pretium, ut *novam* libellorum illorum *editionem* aliquis curaret: etsi non negem, plurimam nostris nauseam creaturas esse, repetitiones creberrimas, & confusionem * in modo proponendi maximam,

S ne-

* Scio quid *Bernierius* pro excusatione dixerit illius confusionis, in Journaux des Savans 1688. 7. Jun. pag. 37. ubi a *Doctore* scholastico *Legislatorem* distinguit: arbitror autem, id nostris non satisfacere Lectoribus. Scio, Doctiss. *Crôsam* in Logico Systemate P. IV. ch. III. §. 3. p. 1390. affirmare, quod dentur libri, quos præstet non scribi ordine. „Il y a des livres, qu' on ne liroit pas si

neque illam acuminibus dictorum ubique compensatam. Vid. §. 23.

§. 230.

Excusatio encomiorum Sinis tributorum. Si ab initio succurrisset animo, quid in nostra hac tractatione vituperari (jure, an injuria?) possit: non ego *rationes excusationum* usque ad libelli finem distulissem. Si pleraque probo, pauca improbo Sinica; si etiam illa affero, & prædico, quæ inter nos vulgata sunt & communia; si pronus videor ad eadem nostris anteferenda, ubicunque id fieri posse videtur; si optimos præceptorum sensus venor; si gaudeo exemplis virtutum præstantibus, & applaudo: Memineris, difficulter contineri animum a favore antiquitatis, in remota gente præsertim, & ab omni cum Europæis, & iis, quas nostri moratiores dixerunt, commercio seclusâ, quis est, qui neget, esse præcepta quædam virtutum & exempla, ex iis, quæ diximus, singularia? Atque si semel in rebus etiam vulgatis

si souvent, ni avec tant de plaisir, s'ils etoient ecrits avec plus d'ordre: & on se les rendroit entierement familiers d'une premiere ou d'une seconde lecture; & dès là on n'y trouveroit plus rien, dont on seroit frappé „ Addidit ille vero *limitationem*, quam in textu indicavimus. „Mais il est necessaire, que chaque partie soit brillante, & renferme un grand, sens, si on veut, que l'ouvrage, qu'elles composent, n'ait pas besoin de tirer aucun prix de leur liaison„

gatis præstantia, nostris neglecta, deprehenderis; (talia non pauca putem in antecedentibus allegata esse:) num in ceteris, etiam prima fronte vulgaribus, suspicari aut quærere rariora non licet? *Sed vero* si binos Sinis oculos adjudicavi; num ideo Europæos privavi altero? Si qua in re Nostris defectum imputavi, & aliquando cum ex Sinicis suppleri posse indicavi; num ideo ubique Sinas eminere judicavi? num ita locutus sum, ut cum injuria Nostratium extraneos ornaverim? Quin æqui sumus, & virtutem amamus, ubicunque efflorescit! Non ego meritis nostratium invideo: an tu meritis Sinensium? Age, colligamus illa in fasciculum, & quæ Sinarum prærogativæ sint, quæ nostrorum in Philosophia æque & Theologia morali, indice quasi digito commonstremus!

§. 231.

Placet *Sinas* habere *Libros* per Universum late patens Imperium *classicos*, eosdemque *morales*: officia non civilibus saltim negotiis, sed universæ vitæ & actionibus hominum omnibus præscribentes. *In Europa* scribuntur jura Civibus, & feruntur Leges sane, sed Civiles, publica auctoritate: officiis hominum naturalibus publico Imperio inculcandis parcior opera impenditur: Pri- Prærogativæ Philosophiæ Sinicæ præ Nostra.

S 2 vatorum

vatorum id eſt, ſcribere compendia, compaginare Syſtemata, & concluſiones auditoribus proponere magis, quam præire. Prærogativam igitur Sinicam hac parte agnoſco. Agnoſco & *alteram*, cum video, Sinas *exempla* poſtulare *magis*, quam acquieſcere præceptis: fortius enim illa & facilius perſuadent; oſtendi rationem dicti non unam § 70. *Aſiatica* ludibrio habemus ingenia, ſervilia per contemtum appellari ſolita: Neſcio, an id ſatis Aſiaticum ſit, poſtulare, ut Leges ferantur exemplo Principis, non decreto ſolum? Neſcio, quid hic abjectum ſit & humile, ſi Philoſophiam nitaris derivare ex dictis Imperatorum? ſi quærere præceptis tuis auctoritatem e factis Regum? ſi perpetuum Legis atque operis connubium firmare? Quis Philoſophorum noſtrorum ita ſtrenue & conſtanter urget illud antiquum: Regis ad exemplum &c.? Quis populo ita ſolenniter & ſæpe inculcat imitationem Exemplorum Virtutis a Majoribus præſtitorum & Potentibus? *Tum* vero velim conſideres an Sinæ emineant in præceptis quoque *Politicis* uni ſemper *virtuti* ſuperſtruendis, accommodandisque, & ex ea limitandis. Primum & ſupremum veræ, intimæque imperantium animis, virtuti locum concedere in regendis Civibus; *Supre-*

mum

mum Regiminis *finem* constituere populi ad integritatem cordis & solida *virtutis studia* renovationem puto esse ejusmodi, ut superet meritis curam externæ tranquillitatis & pacis publicæ, nescio, quibus utilitatum motivis persuaderi solitam. *Præterea* velim attendas, *uti* Sinarum Sapientes *theoria*, quam steriliter alii exponunt, de origine Civitatum e familiis. Num illi practice intelligunt, quodnam in sollicita *liberorum educatione* momentum sit repositum? quodnam *Imperii* & paterni tum juris, tum affectus connubium suaderi, & obtineri possit ac debeat? quis Europæus dedit exquisitam adeo *Patris Patriæ* interpretationem ac in antecedentibus ex Confucio retulimus. §. 50? Velim *porro* advertas animum illi quoque Sinensium sollicitudini, qua Philosophi præcipiunt intimis animi motibus invigilandum esse. Quis enim nescit, esse ex *Nostris*, qui id aut insuper habuerint in Philosophia, aut omnino negaverint in disciplina Morali attendendum esse? Contranitentibus tamen aliis, & veritatem argumentis æque ac suffragio suo fulcientibus. Sed vero inter Sinas id ἐξαγώνιον est, classicis libellis inculcatum, & graviter; dedimus rei specimina in superioribus. Velim *denique* illorum quoque præceptorum rationem habeas in Tua

comparatione, *quæ* aut omnino Philosophi *negligunt* aliqui, aut *non* satis *pro dignitate* inculcant. Ejusmodi plura meditantibus succurrent. *Consulere* alios in re dubia aut ancipiti, *quærere* familiaritatem & *consuetudinem* Sapientum, *imitari* eorum facta & agendi artificia &c. *Consiliorum* loco habentur vulgo, cum *præcepta* sint, eademque ex præstantissimis. Erit fortassis, ubi eam rem plenius enarrare dabitur. Hic unum addo officiorum genus: de officiis *erga amicos & inimicos* specialibus rarum esse in compendiis moralibus sermonem, nemo inficiabitur, atque id eousque, ut præter recentissimas *Philosophiæ moralis* institutiones *VVolfianas*, non meminerim libelli, in quo *diserte* exponantur officia erga inimicos. Quam egregie se hac parte Confucius gesserit, diximus suo loco: quantum tamen eo ipso infra Religionis Christianæ perfectionem adhuc subtiterit, dicemus illico.

§. 232.

Unde tanta Sinis Prudentia?

Illud hic silentio præterire non possum, inquirenti, quæ caussa sit, aut ratio, *quare Sinis* contigerit *sublimiores* in morali doctrina regulas, & efficacius inculcare? succurrisse aliquam, non minima veritatis specie commendabilem. Intellexi argumentis & experientia, *si quis* operam in aliquo studio suam

ita

ita ponat, ut meditationi exercitationem, & exercitationi meditationem *conjungat*, multo illum supra istos ascendere industria, quos aut mera juvat speculatio, aut exercitatio sola occupat; pertingere illos, quo nunquam penetraverint homines aut practici solum, aut tantum theoretici. Quam id vulgatum est in rebus *mechanicis*? quam in *medicis*? Num in *moralibus* idem valeat, facile dijudicaverit, qui argumentum rei e prioribus hisce exemplis generale didicerit. Non ego hic, alieno loco, metaphysicam ingredi disquisitionem instituo, etsi utile id Lectoribus fore existimem, si rei memoratæ ipsi attenderint, sanioribus antea Principiis metaphysicis imbuti. *Unum* hoc *urgeo*: Num fieri non potest, ut, dum serio animum virtuti & constanter applicas, aliquando id possibile esse Tuo ipsius facto cognoscas, quod theoretice examinatum nemo ausus fuisset vel sperare. Specimina officiorum, quæ huc pertineant, aliqua exhibuimus; attende, si placet, factis Imperatorum, qualia memoravimus: &, quæ modo insinuavimus de amore inimicorum, superius enarrata ex instituto. Quicquid videatur aliis; ego hanc *divinæ providentiæ partem* esse existimo, & veneror; qua Deo placet *dare habentibus*, non in natura minus,

quam gratia. Atque hæc inter præcipuas caussa est, quare Sinicam super antiquas omnes Philosophiam, moralem & politicam, intenso voluntatis affectu prosequar.

§. 233.

Prærogativæ Philosophiæ Nostratis supra Sinicam.

Fateor tamen, *Nostratis* etiam Philosophiæ *supra Sinicam* Prærogativas esse. Ita *certum est*, discrimina officiorum multo curiosius investigata esse a Nostratibus: diversos rem eandem considerandi modos, & differentiarum illarum momenta plerumque scrupulosius perquisita esse, & proposita solicitius: pleniorem esse officiorum enarrationem in haud paucis: Responsiones quæstionibus accommodari præcisius: Objectionibus applicari solutiones distinctius: demonstrationes officiorum theoreticas elaborari exactius: disciplinas practicas, atque theoreticas, (priorum fundamenta) subordinari exquisitius: scientias easdem theoreticas tantum non desiderari inter veteres Sinas, saltim non ultra mediocritatem assurgere, neque ad persuadendam virtutem adhiberi frequentius; quantum id ex libellis nostris classicis judicare datum est. Et quæ sunt similia, quibus immorari non lubet. *Nescio*, an illud quoque inter prærogativas nostras collocare liceat, quod *in pietate* positum est *Philosophica*. Ostendi

di in Commentatione Philosophica *de origine & permissione mali*, sect. IV. §. 472. 473. quid intersit inter virtutem naturalem, & pietatem Philosophicam? & quam id sit sublimius, sumere motiva actionum ex divinis attributis atque finibus, quam ex ipsa & sola rerum & consecutionum naturalium consideratione. Quodsi hanc partem Sinæ neglexisse dici possunt, multum ea parte consistunt infra Nostros, præsertim recentiores illos, qui eam rem distinctissime evolverunt. Nescio autem, quid asseverare liceat? *Non* est *multa* Dei mentio in libellis Sinicis; ejusdemque interpretatio inter Europæos quosdam controversa: Est *aliqua tamen*, & ejusmodi, ut videatur ad hanc rem facere; ita enim præcipitur, ut primævam, a Cœlo inditam, innocentiam nitamur restaurare, ut veneremur Cœlum, ut ne cogitatione quidem admittamus, cujus conscium esse Cœlum nolimus, ut unius Cœli arbitrio acquiescamus &c. *Dubius*, an ad medullam Sinæ penetraverint, & assecuti sint, quæ loco citato enarravi, malo nihil diserte hic statuere, & aliorum admittere monita, quam præcipitare sententiam, & impingere. Hoc facile patet: *Si* inter antiquos Sinas *floruit* ea cognitio; multum illi Græcos & Romanos hic antecedunt: *Si de-*

fuit; multum illi infra nostros subsistunt hoc loco Philosophos.

§. 234.

Prærogativæ Theologiæ Moralis præ Philosophia Morali, etiam Sinica.

Longius etiam ab *Theologia Moralis* eminentia abest *Sinensium* Sapientia. Plurima sunt hujus rei documenta; enarrabo breviter, quæ sufficiant. Si *ad Philosophiam* non Sinicam solum, sed *universam* pertinent: Nolim id vitio mihi verti, quod hoc loco illa edisseram. *Sunt, qui* Religioni Christianæ putant detrahi, quicquid præstantiæ tribuitur Philosophiæ, præsertim inter illos obviæ, qui vero Dei cultu non utuntur; Obviam illi præjudicio eundum est, veriore momentorum æstimatione. *Primum* hic *locum* occupat, quam primo ordine omnes allegant, notitia verior & plenior *de corruptione hominum*, & illius rei caussis & momento. Ut enim inconstans & mobile cor hominis accusent *Sinæ*, certum est, illos veram intimæ corruptionis, & consequentium tam effectuum, quam pœnarum notitiam non habere. Dabo unicum facti specimen. *Immortalitatis poculum* somniarunt Sinæ, eidemque obtinendo multam plurimi, etiam Imperatores, operam, & spem, & pecuniam inepto ausu impenderunt. Hic primus Philosophiæ defectus est, & Religionis præstantia; *Secundam* hanc habe. Sunt *præcepta*

in

in Theologia Morali *sublimiora*, quam inter Sinas deprehendo. Ejusmodi bina in superioribus allegavi. *Primos* etiam *motus* in vitio ponit Theologia, non effectus tantum iis pullulantes. De Sinis illud asserere non licuit, deficientibus documentis, vid. §. 62. *Inimicorum amorem* Religio præcipit Christiana: Num ultra vindictæ moderamen Sinæ ascenderint, non ausim affirmare, vid. §. 78. & seqq. Illud extra dubium est, non Sinicæ solum, sed *universa* Philosophiæ respectu, deesse illis ex gr. præcepta, quæ pertinent *ad communionem Sanctorum*, externam respectu Ecclesiæ, & internam respectu unionis cum Capite & membris in Spiritu sanctissimæ. Doleo non evolvi frequentius hæc officia, & distinctius, & specialius: Trahunt illa momentum in praxi non minus, quam in judicio de quæstionibus satis cetera, si non nimium frequentibus. Si Philosophia Societatis Civilis officia præcipit, peculiaria, & a naturalibus distincta, quidni officia sacræ societatis Theologia præcipue commendet, atque inculcet. Transeo, quæ de obligatione credendi fusius edisseri possent; namque hic jam vides specimen præceptorum Theologiæ propriorum, & supra cetera societatum officia sublimiorum: In præceptis cum Philosophia communibus

bus *tertio* loco magna isthæc Theologiæ prærogativa est, quod liquido Dei testimonio *perspicue præcipit*, & persuadet, quæ nonnisi longis ratiocinationum catenis philosophi assequuntur. Diximus in eam rem pauca in Commentat. allegata §. 468. Neque id parvifacere licet, novum assensus Principium, idemque sublimius ex illo Dei testimonio speciali accedere veritatibus practicis, etiam naturaliter intelligibilibus. *Quartum* illud est, quod *exemplum* Servatoris *Christi*, in Theologia Christiana propositum, sit purissimum, & Confuciano in immensum perfectius, errore nimirum & defectu omni vacuum; cum vel ipse Confucius sequi se virum sanctum, sed e longinquo solum, confessus sit, atque a discipulis quoque suis de errore practico, (nimia ex morte discipuli tristitia) admonitus, eundem agnoverit, & correxerit; ut omnino constet, nec *Sinarum judicio* exemplum ipsius undequaque parum esse. *Quintum* ad *motiva* pertinet, Philosophiæ & Theologiæ *communia*, sed *illustriora* tamen in revelatione Christiana. Quam id *difficile* est, & notitiæ Philosophicæ profundioris opus *demonstrare*, quod exemplum Dei *ita* sit norma nobis & regula agendorum, *ut* v. g. *ideo* amare oporteat inimicos, *quoniam* Deus pluviam indulget non piis so-

solum, sed & impiis? Quam id *parum* est, quod Philosophia tradit de statu animarum post hanc vitam, & quanto efficacior hic est notitia cœlitus revelata, promissionibus stipata & minis, uti gravissimis, ita ex divino testimonio certissimis? Accedit *sexto*, quod *nova etiam*, nec rationi aut Philosophiæ communia virtutum *motiva* ex redemptionis atque sanctificationis œconomia peti possint, eminentissimaque illa & fortissima. Si summa *Philosophia* perfectio illa est, cum supra societatis humanæ generalis & Civilis necessitatem atque utilitatem ad divinas assurgit perfectiones, motiva officiorum ex iisdem repetendo: subsistit illa tamen intra considerationem Dei *Creatoris*; Ad redemtionis gratiam, & quæ illi innititur sanctificationis œconomiam non penetrat. Atqui vero *hic abundat* attributorum divinorum gloria & demonstratio hominibus facta: *Hoc* præcipuum est Theologiæ Moralis Christianæ argumentum, quo Naturam omnem transcendit, & Philosophiam anteit longissime. Si quis hoc negligit aut parvi pendit, næ ille nervum doctrinæ Christianæ nondum cognovit! Suppar illi alterum est, *septimo* loco commemorandum, quod *criminis admissi remedia* nulla sint Philosophis. Præcipe, si placet, exquisitissimas

ſimas vitæ regulas; & ſequere, ut potes: quis culpam olim commiſſam animo exuit? quis avertit pœnam prioribus debitam, & connexam peccatis? Scilicet hoc Theologiæ eſt: Chriſtianiſmus hac parte triumphat: ille poteſt ſauciatam reſtituere in integrum, & turbatam ſerenare conſcientiam; & ſolus poteſt. Nihil hac parte ratio valet: Nihil igitur Sinarum prudentia. Denique *octavo media* velim conſideres, *verbum Dei* & *Sacramenta* divino plena ſpiritu. Si *tanta rituum* ab hominibus inſtitutorum efficacia eſt, quantam Sinæ in reverentia erga majores & Magiſtratus ſuos plantanda ipſo facto experti ſunt: *quanta* erit illorum *actuum*, quibus divina interior gratia efficax conjungitur! Non hic externis monemur tantum; ſed intima animo virtute percellimur; ut noſtrum non ſit, ſed Dei opus, quicquid in nobis perficitur. Nimirum *illud ſuper omnia* eminet Religionis Chriſtianæ ex divino favore beneficium; quod dejectas naturaliter vires erigere, reſtaurare amiſſas, & deficientes ſupplere ſanctior Dei Spiritus & valeat & velit e Chriſtianorum doctrina. Deficit id auxilium, ubi philoſophamur ſolum, naturæ beneficio: accedit demum indultu gratiæ, divinitus diſpenſari ſolitæ.

§. 235.

§. 235.

Non licet nobis hic esse prolixioribus: alioquin explicari posset, *quid* in *unaquaque* harum considerationum attendi ad vitæ emendationem præcipue possit & debeat, & *quomodo* illud usurpare liceat? *Sufficit* instituto præsenti, *ostendisse*, quod nostra Sinarum encomia nihil religioni præjudicent; *ostendisse*, in quo maxime Theologiæ moralis officium, & prærogativæ consistant; *ostendisse*, quî fiat, ut excellsiora virtutum specimina deprehendantur inter eos, quos divino regi spiritu contingit, quam inter ipsos Sinarum Imperatores. Etsi *non diffitear*, videri mihi aliquando, antiquissimos gentis sive conditores, sive Legislatores, diluvio propinquos, non ab omni divino cultu, & sanctioris Spiritus regimine alienos fuisse; * donec invalescente postmodum idololatria suis ferri ingeniis occœperint, pristinæque felicitatis Conclusio dictorum.

* Equidem sunt Eruditi, qui multo hic determinatius loquuntur; malui autem in re nondum ad liquidum deducta hæsitanter dicere sententiam. Certe *VVhistoni* sententiam, quod NOACHUS post diluvium in Sinas concesserit, ipseque ille FOHI, celeberrimus gentis Sinensium Auctor, exstiterit, multis rationibus adductus confirmatum ivit *Henricus Barham*, Eq. & Soc. Reg. Angl. Sodalis, in Tractatu de Bombycibus, *An Essay upon the Silk-VVorm.* Vid. Acta Eruditorum Lipsiensia ad An. 1721. m. April. p. 183.

tatis & notitiæ reliquias ad externa magis magisque transtulerint: Eo quidem, ut fieri solet, successu, ut sensim sensimque a veri Dei agnitione ad idola conversi tota tandem via aberraverint. Id hodierna & tristis comprobat experientia; non emendanda, nisi divino auxilio, & Christianorum Cultu Chinæ illato; quod institutum utinam Deus purum præstet, & fortunatum faxit!

§. 236.

Testimonium Sinicum.

Diximus antecedentia *omnia Sinicis* fulti testimoniis: itaque Sinico etiam effato universam hanc opellam absolvemus. Legitur in *Declaratione Proœmiali RR. PP. Editorum* fol. XIII. Virum sapientia Sinica, & per illam parta dignitate post Imperatoriam suprema perillustrem, sed Christianis virtutibus, Sapientiaque cœlesti illustriorem, nascentis Ecclesiæ columen, *Sin*, Colaum Imperii, cum ab eo quis sciscitaretur, *ecquid* efficeret *nova* illa, quam Europæi homines afferrent, *doctrina*? proprio gentis Sinicæ Laconismo respondisse voce, & scripto: *Pu ju*; *Çive fe*; id est: *supplet illa defectus Philosophiæ nostræ*; *superstitionem atque idololatriam evertit*.

F I N I S.

Ap-



APPENDICIS LOCO SEQUITUR DE LITTERATURA SINENSI DISSERTATIO EXTEMPORALIS.

§. I.

Occasio dissertatiunculæ præsentis.

CUriosula quædam hic adjungere non inconsultum puto, postquam expedivi practica. Neque enim omnino deludere licet expectationem eorum, si qui fortassis, audita Sinarum mentione, præter alimenta virtutum, curiositatis quoque pabula requirunt. Ut varietate opusculum aliqua gaudeat, *litteraria* hic potius attendere quam Politica, placet: Non quasi publico harum deesset rerum notitia, ab aliis dudum vulgata; ipse enim *alienis* hic oculis video: Sed ut *inter nostros* fiat vulgarior; nescio enim quo fato rariores sint libelli ad Sinica pertinentes, sic, ut frustra

plerosque quæsierim, etiam recentissime editos.

§. 2.

Amplitudo rei litterariæ Sinensis.

Absit vero, ut existimes, esse mihi constitutum exponere, aut indicare solum, *quicquid ad rem litterariam* ex doctrina Sinensium vera aut fabulosa pertinet, de Deo & Spiritibus, de rebus Naturalibus, Cœlestibus aut terrestribus, de morbis & remediis, de antiqui temporis historia, & similibus. Fateor quidem, si postules, *non* id *plane nihil* esse, quod mihi innotuerit de Theologia gentis, de Physica, Astronomia, Medicina, Historia, passim ab eruditis traditum: *Nequaquam tamen* illud eo sufficit, ut ausim id, quicquid est, notitiæ in publicum protrudere; ut putem, id efficere partem non contemtibilem eorum, quæ jam tum Europæis publice innotuerunt; minus etiam, ut existimem, id rei ipsius amplitudini collatum non evanescere. Facile judicio *Illustris Fourmontii** accedent, quicunque argumenta Viri pensitabunt. Rem Litterariam Sinensem asserit pæne immensam

* Exhibetur illud in commentariis Trivultinis (*Memoires de Trevoux:*) ad A. 1722. mense Septembri, Artic. XCIV. quo dissertationis *Fourmontianæ* de literatura Sinica, d. 14. April. 1722. in Academia Regia *Inscriptionum* recitatæ, summa quædam capita brevissime recensentur, p. 1577.

sam esse: fateri illud vicinas gentes, *Siamenses*, *Tunchinos*, *Japones*, & *Tartaros*: Neque id insolens videri debere, sed omnino naturæ conveniens haberi. *Chinam* esse imperium regione vastissimum, habitatoribus frequentissimum, civili cultu instructissimum, idemque omnino antiquissimum. Omnem in Eruditione *Nobilitatem* consistere: Munera & *Dignitates* conferri ex merito, eodemque litterario. *Typographiam* ex immemorabili temporis spatio obtinere. Præsto esse monumenta *Philosophorum*, *Poëtarumque* & *Historicorum* ex omni ævo. „Contende illa vero nostris moribus, quicunque velis, & facile amplitudinem judicaveris, in quam Sinica res litteraria diffunditur; ut opus non sit uti argumento a *Bibliothecis* deducto, e quibus unicam ex R. P. *Trigautii* testimonio memorabimus; refert ille in monte *Lung-muen* reperiri 30000. Auctorum Sinicorum Bibliothecam, quæ *Siyuli* dicatur, a Præfecto ejus nominis inchoata. Vid. *Theophili Spizelii* de Re Litteraria Sinensium Commentarius Sect. III. p. 37.

§. 3.

Constituimus, illud solum obiter enarrare, quod ad *litteraturam* proprie pertinet, ad *Linguam* scilicet sive pronunciatam, sive scripto, aut typis ex- Institutum præsentis opellæ.

pressam; & perstringere ex ea occasione, quæ de libello plusquam hieroglyphico Conditoris *Fohi* succurrent. *Extemporalem* vero operam polliceor, qualis præstari in hac festinatione potest, cum excusis pæne omnibus antecedentis opusculi plagulis id demum Consilii inire contigit, ut libello epimetron aliquod adjungam.

§. 4.

Paradoxa de sermone Sinico.

Incipiam *a sermone Sinensium*, & quæ maxime a nostris recedunt idiomatis, percurram. *Paradoxa* facile omnia expectabunt Lectores, si R. P. *Ludovici le Comte* exordium audiverint. Linguæ Sinicæ asserit in principio Epistolæ ad *Archiepisc. Rhemensem*, * cum nulla ceterarum convenire: nihil illi commune esse cum reliquis in sono verborum; nihil in pronunciatione vocabulorum; nihil in idearum dispositione. Posse sonos omnes bihorii spatio edisci, & pluribus tamen annis vix obtineri, ut Sinico quis sermone uti queat. Posse Te eo proficere, ut Libros omnes & legere valeas, & a Te lectos intelligere, sic tamen, ut nihil intelligas, cum eosdem alius prælegerit. ** Posse accidere,

* Vid. Nouveaux Memoires sur l'Etat present *de la Chine* par le R. P. *Louis le Comte*, de la Comp. de Jesus Tom. I. p. 266.

** Obiter admoneo, idem Europæis quoque Linguis

re, ut litteratus ſcribat eloquentiſſime, qui idem tamen in vulgari ſermone ſenſa animi ſui ſatis explicare nequeat. Poſſe hominem mutum, ſed characterum ſcriptionis gnarum, digitis ſine ſcriptione ita celeriter loqui, ut id ſine moleſtia fiat Auditorum, an Spectatorum? Eſſe eorundem ſonorum ſignificationes oppoſitas, ſic ut a duobus aut diverſim enunciati venerationem modo, modo injuriam contineant, &c. Mirum hoc videbitur: ſed non ſine argumento dictum eſſe intelligent, quicunque ad ſequentia attenderint.

§. 5.

Dialectos excutere Sinicas & diverſitatem enarrare, neque ego poſſum, neque Lectoris intereſt. Eſſe in vaſtiſſimo Imperio non unam, facile omnes conjiciant. *Viginti linguas* ſatis inter ſeſe diſcrepantes reperiri, eminere tamen e ceteris *Mandarinam*, quæ ceu polita & erudita toti regno communis ſit, in curia & aula Regis uſitatam, atque ejus pretii habitam, cujus in Hiſpania cenſeatur *Caſtellana*, *Toſcana* in Italia, ex

De Lingua Sinarum Mandarica.

guis pluribus accidere. Novi, qui Libros Gallicos & Anglicos intelligant a ſeſe lectos, non intelligant, ab alio prælectos, neque Gallis aut Anglis prælegere valeant intelligibiliter. Rationem facti & grammaticam & metaphyſicam reddere non eſt arduum.

Eruditissimi Patris *Athanasii Kircheri* China illustrata pag. 235. refert Vir Litteratissimus *Augustus Pfeifferus* Criticæ Sacræ C. X. §. 12. n. 2. p. 313. Non illam a plebejis intelligi, ab iis tamen, qui legendi artem calleant etsi cum multa difficultate apprehendi, didici ex *Spizelio* sect. 17. pag. 103. *Antiquitatem* ejus Linguæ variis Latinorum, Arabum, Persarumque & Sinensium Auctorum testimoniis comprobasse scribitur Dominus *de Fourmont*, l. c. Comment. Trivult. p. 1578. De Sinarum gloriatione, & *Jo. VVebberi* Angli conamine, quibus Sinicam faciunt linguarum omnium antiquissimam, nihil addo: Transeo ad naturam illius sermonis, quantum mihi innotuit, enarrandam.

§. 6.

Inopia vocabulorum. Non id rarum est, laudari Eloquentiam Sinarum. Atqui præter *trecenta & triginta* forte vocabula non habent: eademque omnia tantum *monosyllaba*, aut ita saltem enunciari solita, ut unam tantum syllabam vox unaquæque referat. Exhibet vocabula illa *unica* inscripta *tabula*, ut universam uno oculi ictu linguam pervidere liceat, *Ludovicus le Comte* l. c. *Magna* hæc *inopia* est, non sine magnis in vita humana incommodis: nisi medium detur, quo sensum multiplicari sine sonorum multitudine liceat. Equidem

dem id rarum non eſt, varietatem paucis quibusdam elementis infinitam induci poſſe, artificiis quam pluribus: Eſt vero aliud alio commodius; maxime obvium eſt, quod ſimplicium compoſitione perficitur. Id pluribus commune eſt linguis, illis præſertim, quas maxime divites vocum habere conſuevimus, Græcæ & ſimilibus. Neque deeſt Sinis *compoſitio* vocum, ut quando Deum vice ſimplicis cujusdam dictionis, *Tien chu* Cœli dominum deſignant. Præter id tamen & *aliud illis* inopiæ *remedium* adhibere placuit inuſitatum nobis; *uberum* illud, ſed difficile.

§. 7.

Addunt ſonis *tonos* quoque, & *accentu* ſignificationes Sinæ diſtinguunt. Admittit vox (ſeu, quod idem eſt, ſyllaba) unaquæque accentus *quinque*, prout acutius enunciatur, aut remiſſius, ſignificatura aliud atque aliud: adeo, ut *Muſica* quandam ſpeciem & harmoniæ genus præ ſe ferat Sinica elocutio. *Primo* quidem tono pronunciationem uniformem tribuit *le Comte*, quaſi primam noſtræ Muſicæ Notam aliquandiu continuares: *Secundo* elevationem vocis ſenſibiliter altiorem, *Tertio* valde acutam: *Quarto* ſubitum ex acuto lapſum in tonum gravem: *Quinto* deſcenſum adhuc profundiorem, baſſi quandam ſpeciem ex- Remedium inopiæ ex Accentu.

exprimentem. Monet tamen, id niſi in exemplo non ſatis comprehendi. Advenarum commodo, præſertim miſſionariorum quinque *notas* ſignificandis illis tonis deſtinatas, invenit R. P. *Jacobus Pantoja*, quas vocavit accentus Sinicos, qui vocibus (Sinicis ſcilicet, ſed noſtro more per literas deſignatis) adſcripti doceant, quomodo inter proferendum ſonus moderandus ſit, uti ex *Kirchero* refert *Pfeifferus* l. c. pag. 318. & *ſchema* etiam quaſi *Muſicum* exhibet in adjuncta illi loco tabula, cujuscum narratione *Comtiana* comparationem, conciliationemque ipſis relinquo, & commendo Lectoribus.

§. 8.

Alia multiplicationis media.

Equidem id remedium eſt ejusmodi, ut *facile multiplicet* vocabulorum ſignificatus, exhibita eorum non vulgari copia. Nimirum ope 330. ſimplicium ſonorum, ſed diverſis quinque tonis enunciatorum, ſignificatus obtinentur omnino 1650. * Nondum id ſufficit tamen.

Aſpi-

* R. P. *Le Comte* in Tabula ſua voces exhibet ſolum 328. Inde facta per quinarium multiplicatione oriuntur, 1640. Sed ubi calculum ipſe init, p. 268. commentariorum ſuorum; ſimplices ſonos 333. aſſumit eoque numerum vocum, attenta ſimul tonorum variatione extendit ad 1665. Cel. *Pfeifferus* omnia ait Sinarum vocabula vix eſſe 1500. eademque, ut ante diximus, monoſyllaba, univerſa

verſa

Aſpiratione ſingulis addita vocibus, aut intermiſſa illa & continua ſonorum pronunciatione facta, jam altero tanto numerus augetur: Augetur, uti §.6. diximus, *ſyllabarum compoſitione* tali, qualem nos literarum, ſyllabarum & vocum ſimplicium combinationem uſurpamus. Augetur *phraſium* quoque integrarum *collocatione*, ut ſenſus etiam oppoſitos eadem formula admittat, prout ſequitur, aut antecedit aliam atque aliam. Satis id diverſitatum eſt, ut paucitatem ſonorum ſupplere tonus, aſpiratio, compoſitio, collocatio poſſint: maxime ſi attenderis, quanta permutationum ex diverſa collocatione oriundarum ubertas deprehendatur combinatoriæ artis calculo. Non poſſum hic enarrare *ſpecialia*, præpeditus linguæ ignorantia: igitur, quæ hic noſſe datum eſt, ad *ſignorum* potius *regulas* examinare placet, quam nihil dicere.

verſa in vocalem deſinentia, aut aliquam e conſonantibus *m*, *n*, *ng*: quod ultimum ex allegata quoque tabula conſpicitur. niſi quod terminatio, in *ng* nulla occurrat. Cl. *Waltonus* apud *Spizelium* p. 107. „Vocabula habent *Sinæ* pauciſſima, omniaque monoſyllaba; nomina enim non agnoſcunt ultra 326. nec in univerſum ultra 1228. vocabula.„ Facile autem eſt, in his talibus variare & calculum, & ſcribendi rationem, noſtris expreſſam characteribus: fortaſſis etiam dubitare licet, an omnibus ſonis applicent omnes quinque accentus? &c.

§. 9.

Quid sit ars Semantica? Scio *Semanticam* Artem, sive generalem & abstractam, sive specialem & applicatam satis hucusque neglectam esse, in libellis publice prostantibus. * Voco σημαντικὴν ** Artem illam, quæ de signis præcipit, docens, quomodo signa *naturalia* observare, atque ex illis ad rerum ipsarum cognitionem penetrare; *arbitraria* autem invenire, combinare, & usurpare liceat quam optime. Sunt hujus disciplinæ species subalternæ *Ars inveniendi sonos* exprimendæ animi sententiæ, & *characteres* indicandis scripto sonis istis idoneos: Utriusque illius *summa* saltim *genera* liceat hic *attingere*. Pertinet autem utraque ad partem Semantices illam, quæ de signis agit arbitrariis, sive instituendis demum, sive, cum

* Nolim tamen mireris eam negligentiam specialiter. Commune hoc fatum est eorum omnium, quæ pendent ex regulis sapientiæ, quas notum est specifice nondum excussas esse, & vulgatas.

** Equidem receptius vocabulum fuisset, si *characteristicam artem* dicere voluissem; sed vero characteres non consuevimus usurpare pro signis in genere; ad scriptionem illos potissimum referri in usu est. Ita *signum* expositi ad vendendum vini Hederam dicimus, non characterem. Signum oblatæ pacis olivam; signum venerationis nudationem capitis nos quidem, Sinæ capitis obtectionem; signum orientis solis auroram salutamus, & sic porro: *characteres* non appellamus communiter.

cum instituta sunt, dijudicandis. Arbitraria ubi signa dico, ea intelligo, quæ ab Entium intelligentium voluntate & arbitrio ita dependent, ut eorum loco alia iisdem rebus significandis, aut eadem rebus aliis designandis adhiberi possint: Non tamen eo facto absolute indifferentia illa facio, & regulis, sapientem signorum institutionem dirigentibus, locum præcludo; quin potius ubi artem nomino, altera alteris signa subinnuo commodiora, & convenientiora. *Fundamenta* autem illius congruentiæ majoris aut minoris *duplici* potissimum *fonte* dijudico in generalibus. Cum enim signum nihil aliud sit, quam res, quæ præter ideam sui simul in animo ideam excitat rei cujusdam alterius, ut præsentis, præteritæ, aut futuræ: Inde pro dirigenda signorum arbitrariorum institutione, aut *ad rem ipsam* respicio, quæ signi loco assumitur, aut *ad vim significandi*, quæ illi adjungitur. Considerationem rerum significatarum, tanquam a prioribus sejunctam, non allego, quoniam illæ præsupponuntur in seipsis spectatæ; sin easdem consideres ut significandas, videntur præcepta ad secundam, quam dixi, partem referri aut debere, aut posse saltim: Nondum tamen hic quicquam determino, sed majori illud otio, & considerationi repe-
titæ

titæ relinquo, an aut oporteat, aut expediat, *tertiam* prioribus partem adjungere ſeparatam?

§. 10.

Regulæ artis *Semantica* generales.

Regulæ, quarum *hic* applicatio requiritur in judicanda Sinarum Lingua & Scriptura, facile ſequentes occurrunt. Ad *primam* partem pertinet, 1. ut ſigna *facile addiſci* queant. Num illa eſſet Lingua uſitatis perfectior, quæ vocibus non niſi heptaſyllabis & longioribus uteretur, ſesquipedalibus impedita circumlocutionibus, quotiescunque animorum latitantes ſententiæ forent collocutoribus propalandæ? 2. ut *facile memoria* teneri. Quis probat characteres Chymicis uſurpatos, atque omnino tales, ut, niſi continuo illos uſu teras, difficillime teneantur memoria. 3. Ut *facile uſurpari*. Num placet Tibi impeditum illud ſcribendi genus, quo populi quidam antiqui, pingere magis quam ſcribere viſi ſunt, integras aves, ſerpentes, ceteraque animalia vice characterum adhibentes? Quid de illo luſu videtur, cum Patrum noſtrorum ætate vocibus intermiſcere rerum ſimulacra & icones aliqui conſueverunt? Cujus quidem rei ſpecimina ſub lepido & nihil ſonante *Rebus de Picardie* titulo a Dn. Accordio (*Le Sieur des Accords*) publicata vidimus, non omnia æque honeſta: Sunt aliqua etiam

apud

apud Cl. *Wagenseilium* in *Chirone*. 4. Ut *facile observari* usurpata. Quis pro vulgari usu commendaverit minutum illud scribendi genus, quo nonnulli pictores v. g. capillos faciei appingendos, aut linearum in illa ductus repræsentare annisi sunt sententiis ita tenuiter descriptis, ut legi sine microscopio non possint? An præstat in Analysi cum Cartesio scribere a^4, a^5 &c. an cum antiquioribus aaaa, aaaaa? cum Illustri Leibnitio dx, ddx, d^3x, d^4x, an cum antagonistis $\dot{x}$, $\ddot{x}$, $\dddot{x}$, $\ddddot{x}$, 5. Ut *ne sint molesta facultati* illi, ad quam pertinent; ut neque visa aciem obtundant oculorum, neque audita lædant, vel offendant audiendi vim &c. neque facultatem usu debilitent, aut ad alia sui objecta reddant minus dispositam & liberam: Ut 6. potius eidem, cum fieri potest, *grata accidant*; ut oblectent illam potius, quam fatigent; ut perficiant magis, quam destruant. 7. Ut rerum pro signis adhibitarum *differentia* petatur *ex fonte domestico* potius quam alieno, ex ipso facultatis illius, ad quam signa pertinent, usu, moderatione, & regimine. Puto convenientius esse, si eadem characterum figura oculis objecta res diversimodas signi-

Digitized by Google

significare volueris, ut v. g. id diverso colore fiat, quam differentia fortassis, quam tactu solum aut odore, non visu liceat discernere. 8. Ut *signa*, cum fieri potest, *imitentur res* ipsas. Talia esse possunt & debent v. g. illa, quibus saltationum ordinem & genera Magistri repræsentant. Tales esse solent repræsentationes sylvarum, montium, fluminum, civitatum munitarum &c. in chartis Geographicis. Tales picturæ rerum & actionum omnes. 9. Ut *diversi generis signa* eidem rei designandæ destinata, *relationem* inter se aliquam aut inferant, aut admittant. Ita præstat verba esse ejusmodi, ut scribi sine ambiguitate possint, & ex scripto iterum pronunciari, characteres ejusmodi ut facile scribi & typis excudi possint &c. Et quæ sunt plures ad hanc classem pertinentes regulæ.

§. 11.

Continuatio Regularum. Ad *secundam* partem, vim sc. significandi ipsam, refero, ut 1. *res distincta distinctis* etiam signis repræsententur. Quid ea lege observata liceat proficere, & quantum imaginatio intellectum adjuvet eo casu, norunt, qui calculum & figuras tractare Mathematicas didicerunt. Ut 2. *signa rerum* significatarum *relationes*, quantum fieri potest, universas, saltim præcipuas, simul exhibeant. Facit

cit hoc artificium ex ſignis mere rememorativis *ſcientifica*: ut proprietates etiam non ante cognitas eorum ope liceat eruere & intelligere. Si quis in exemplo rem perpendere velit, deſignatam in globo artificiali, vel etiam in charta cœli terræque faciem allego & ſimilia. Ut 3. *ſigna* ordinem aliquem & *uniformitatem* ſervent, non vero idem ſigni accidens diverſa deſignet, hic aut alibi recurrens. Sunt elegantia uniformitatis ſpecimina in Notis v. g. Muſicis; difformitatis exempla moleſtiſſima in Grammaticis v. g. diverſorum generum (maſculini, fœminini, &c.) ſignis: ut neceſſum non ſit iſti regulæ immorari. Ut 4. ſigna ſemel electa, quantum fieri poteſt, *cum ratione ſignificent*, hoc eſt, ea ſimplicium conditio ſit, & combinationum ratio, ut licet prima ex arbitrio ſignificent, compoſita tamen ex combinationis ratione ſuam ſignificandi vim ita obtineant, ut ſimplicia & primitiva nonniſi pauca ſint, compoſita vero, etſi plurima ſint, ex prioribus illis valeant intelligi. Non poteſt facile exquiſitius præcepti ſpecimen occurrere illo, quod in noſtra ſcribendi ratione deprehenditur: admonebo id, cum in ſequentibus ea recurret tractatio. Ut 5. ſigna *tantum* ſignificent, *quantum poſſunt*. Perfectius id ſignum eſt, quo plura diſtincte poſ-

possum designare, quam alterum, quo nonnisi paucissima. Præcepti autem hujus exemplum, quo non facile melius vidi, occurrit in decantatis olim, & hodie vapulantibus, vocabulis Logicis sono barbaris, sed significatione uberrimis, quibus syllogismorum modos & reducendi artificium Veteres concluserunt, &c. Scio, memoratas hoc loco regulas esse alias aliis *potiores*, non pro generali solum consideratione, sed in specialibus quoque argumentis, quin etiam pro casibus aliquando individualibus: sed illud argumentum hic ingredi non licet, neque *exceptionibus* faciendis regulas hic præscribere instituti est. Agimus *hoc unum*, ut fundamenta præsto sint aliqua, comparando Sinensium sermoni cum nostro idiomate subservientia. Eademque de causa in plerisque locuti sumus generaliter. Ita frequens illud *facile*, quod initio regularum ponitur §. 10. diversa denotat. Designat, *ab ineunte ætate*, brevi tempore, sine operosa attentionis vi, sine perpetuis Magistris, sine sumtibus prægrandibus, sine odiosa repetitione, & sic porro. De quibus omnibus speciatim hic exponere non licet.

§. 12.

Examen Monosyllaborum

Non ego diffiteor, placere mihi *simplicitatem*, in *Monosyllabis* affectatam a Sinensibus

nensibus; placere variationem in *tonis* quæsitam: si generaliter utramque attendero. Non dubito facilius edisci hæc vocabula; facilius retineri memoria; facilius usurpari enunciando; satis facile observari enunciata; non illa aures fatigare, aut linguam, observo etiam ingratos aliquos & asperos exesse sonos; ita carent Sinæ canina r, * eademque in exilium acta asperitatem linguæ non minimam evitant. Gratas igitur auribus voces dicerem, nisi & de perpetua *monosyllaborum serie* dubitarem, & enunciationis aliquas molestias intercurrere monerent rerum gnari. Non ego *auribus neutris* utor; adsuevi nostro idiomati, quod polysyllabis vocibus immiscet monosyllabas: Igitur & *sesquipedalibus* offendor, & *monosyllabis* meris. Accipe illud tritum: *Conturbabuntur Constantinopolitani innumerabilibus sollicitudinibus*, & fac, integram talibus orationem componi: quam illa suavis erit! Accipe vero & alterum in versiculis consultissimi olim *Thomæ Lansii* Nostratis,

U solis

ex regulis enarratis.

* (Carent & alii, *Pfeifferus* ex *Martinio* Sinis deesse memorat sonos, qui respondeant nostris *r* & *d*, ex *Trigantio* addit *b*, & *Ludovicus le Comte* tradit, Sinas nunquam pronunciare *a b d o r x z*, quo sc. sono eæ literæ inter Gallos enunciari contingat, neque illos perfecte assequi, etsi admonitos & volentes. Vid. uterque ll. cc.)

ſolis monoſyllabis bona hominum enarrantis, & mala quoque in faſciculum collecta. *Lex, Rex, Grex, Res, Spes, Jus, Thus, Sal, Sol,* (bona) *Lux, Laus. Mars, Mors, Sors, Lis, Vis, Styx, Pus, Nox, Fex,* (mala) *Crux, Fraus.* Si ſimilitudini ſonorum ſibi ſuccedentium imputare offenſionem contigerit: diſpone verſiculos, namque id potes, ut ſuccedant ſibi diſſimiles; aut conſtrue, ſi placet, alios. Satis opinor ad *primæ* partis præcepta accedunt Sinarum vocabula; illud enim hic attendi vix poteſt, ut ſonus imitetur rem deſignatam; etſi non ignorem elaboraſſe aliquos in eo, ut v. g. literis *Ebrææ* Linguæ ſingulis ejusmodi ſignificatus aſſererent, ſono pronunciationis congruentes, & ſignificatuum in vocabulis quaſi elementa. Difficilius cum *ſecundæ* claſſis præceptis conveniet monoſyllabis iſtis. Quoniam pauca ſunt, ideo rebus omnibus diſtinctis diſtincta non reſpondent ſigna, niſi aliunde fiat multiplicatio: Facta illa eſt a Sinis quoque; quo ſucceſſu, mox ediſſeram. Interim id moleſtum eſt, habere vocem *eandem ſignificatus* plusquam viginti, eosdemque diverſiſſimos, quin etiam *oppoſitos. Relationes* rerum ſignificatarum difficillime exprimas ſignis *ſimplicibus*; compoſita hic omne meritum abſolvunt. Pendet a monoſyllabis ſine dubio,

bio, quod *Flexionibus* carent *Grammaticis* Sinæ. Allegant specimen Cel. *Pfeifferus*, ubi eadem vox significat *diem* & *dies: antiquam* & *antiquos*: *potest* & *possunt*: *descendere* & *descendit*: *Est*, *sunt*; *fuit*, *fuerunt*, *fuerat*, *erat*. Vid. loco allegato p. 318. 319. Intelligo sane, quomodo obviam iri incommodo possit salvis monosyllabis, saltim ex parte maxima: Non autem de illo quærimus, quid in mentem nobis venire queat? attenditur illud, quod in mentem Sinis venit? Est hic aliquod *prudentiæ* specimen in linguis adhibitum *Europæis*, sed plurimo tamen *defectui* obnoxium. Quæ de Uniformitate diximus, & combinatione simplicium signorum attendam in sequenti potius paragrapho, quoniam id in præsenti non possum, ex rei partim natura, partim mea sermonis inscitia.

§. 13.

Transeo ad judicium de *tonis*, significatuum multitudini velificantibus. *Placet* differentiam ex ipsa pronunciatione sumi, domesticam elocutioni vocum, &, nisi nimia tonorum varietas confusionem inferat, facile observabilem. An grata sit auribus illa cantillatio? an molesta audientibus? non dixero. Hoc præcipue attendi velim: primo quidem, *an ordo* aliquis & uniformitas observetur in ea significationum varietate ex tonis

Examen variationis per Accentus.

pendula. Ita eundem sonum *ya* memorat Doctiss. *Spizelius* pro *quinque* illis diversis accentibus significare *Deum*, *murum*, *excellentem*, *stuporem*, *anserem*. Vide Diss. alleg. p. 106. Vellem, ut præsto mihi essent exempla hujusmodi plurima, ut inquirere possem, an aliqua hic uniformitas regnet? an secus? *sufficeret* sane, illam imaginationis judicio talem esse, etsi non semper intellectus: illam in plurimis facilem esse aut naturalem, etsi affectatam & coactam in paucioribus; neque enim eadem rebus omnibus uniformitas accommodari potest. Vereor tamen, ne plurima casui hic debeant Sinæ, adeoque parum ordinis in ista variatione obtineat. Secundo memorabile est, *summam* Linguæ *difficultatem* ex eo tonorum discrimine enasci, exteris præcipue molestam. Tenentur illi cantillare scrupulosissime; si vel leviter a tono aberrent, alia omnia dicunt: Voluisti *Dominum* appellare collocutorem Tuum: appellasti *bestiam* eodem vocabulo, sed tono nonnihil differenti; v. *Lud. le Comte* Memoir T. I. p. 270. Narrare constituit Italus Sacerdos Sinensi, Naves in Europa reperiri, quæ turres majores magnitudine exæquent. Vocabulo, quo *Navem* designare volebat, attribuit accentum, quo id *tegulam* significat. Mirabuntur id Si-

næ,

næ, & re velut fidem superante elusa, petebant, cuinam tandem rei utilis hæc tegula foret, ingentemque eam fornacem esse debuisse, in qua isthæc cocta fuerit. v. *Theoph. Spizelius* l. c. pag. 104. Opinor Lectores *Ludovico le Comte* potius quam *Magalhano* accessuros, quorum ille difficilem, hic facilem esse Sinicum sermonem ex eodem fonte conficere studet. Num facile succurrit, quo accentu unusquisque sonus enunciandus sit, vel etiam, quæ unicuique sono, ut sic dicam, accentuato idea respondeat, si nunquam illos scripto comprehensos conspicere datum est; si sola imaginationis vi apprehendi, & locuturo vel audituro absque aliis subsidiis in mentem celeriter redire debeant? Num facile est omnibus assequi voce sua sonos & tonos, quos utcunque sibi imaginatione repræsentent? Quid exemplo eorum colligitur, qui Linguas exoticas numquam exacte discunt pronunciare? Quid eorum, qui subtiles tonorum differentias distinguere nullo aurium judicio valent? Quid ex eo infers, cum ex *Ludovico le Comte* oculato teste audis, Doctores Sinicos aliquando in colloquio familiari, ut se mutuo intelligerent, eo esse redactos, ut characterem sono respondentem digitis aëri quasi inscriberent, quoniam pronunciatio-

ne ſola ſenſum determinare nequiverint? Vid. *Memoir*. T.I. p. 272.

§. 14.

Examen variationis ex collocatione vocum.

Accedunt *aliæ difficultates* ex aliis ſignificatuum multiplicandorum mediis. Diximus, diverſos vocum ſenſus eſſe, prout alia aliam antecedit aut ſequitur: prout aliqua initio phraſis poſita fuerit, & ſic porro. Ex eo pendet, quod *Ludovicus le Comte* monuit egregie: ſi quis peregrinus Gallicam utcunque linguam balbutiat, etſi vocibus mutile enunciatis, etſi miſerrime tranſpoſitis, etſi omiſſis pluribus & intruſis ſuperfluis, modo pauca recte enunciaverit, facile illius mentem aſſequi homines Linguæ gnaros; ſecus id eſſe in Sinico ſermone, ubi unica vox male enunciata aut collocata integram phraſin reddat non intelligibilem; & phraſis una in principio ſermonis male intellecta efficiat, ut integram diſcurſus ſeriem nequeas comprehendere. Pendet ex eo alterum paradoxi genus, quo memorat, ſi quis conventum accedat eo tempore, quo jam tum de negotio aliquo collocuti ſint ceteri, accidere, ut ſatis magno temporis intervallo nihil ſermonis coram ipſo continuati intelligat, dum ſucceſſive filum quaſi diſcurſus divinare, atque ita ſe in ſententiam dictorum penetrare diſcat. Vid. *Memoir*. T. I. p. 271.

§. 15.

§. 15.

Fallor, an ex hiſce omnibus conſequitur, *præſtare* linguas v. g. *Europæas* Sinicæ? quandoquidem & facilius videntur edifici poſſe, & ſine ſcrupuloſa audientium attentione intelligi, & paucioribus ſubeſſe ambiguitatibus, & plures rerum relationes ſuis flexionibus exprimere, & ſcripto conſignari facilius, & minoribus ſumtibus typo excudi & ab unoquoque diſcurſui accedentium comprehendi, & quæ ſunt ſimilia. Fateor tamen, ſi cui metaphyſico eum laborem imponi contingeret, ut de Linguis etiam Europæis ageret *Philoſophice*, * poſſe plurimos harum quoque nævos facile detegi, & niſi Magiſter loquendi Comparatio Linguæ Sinicæ cum Europæis.

* Obiter moneo: aliud eſt linguam condere *philoſophicam*; aliud eſt, linguam condere *philoſophicè*. Prioris generis ſpecimen dedit *Caramuel*, in Libello, cui titulum fecit λεπτότατος, ſive *ſubtiliſſimus*, Linguam complexo metaphyſicam, de cujus ſive inſtituto, ſive executione plurima dici ab illis poſſent, qui metaphyſicarum idearum gnari, earum deſignationes ad *Semantica* Artis præcepta examinare dignarentur. Saltim illa *magis philoſophicè* condita eſt quam ea, quam communiter uti ſolent Philoſophi; neque enim *technica* ipſorum lingua melior eſt aut diſtinctior in quamplurimis, in nonnullis eſt etiam ob ambiguitatem ſuam confuſior eo ipſo, quo vulgus utitur, ſermone. Sed vero de iſtis hic non intendimus diſſerere ſpecialiter: loquimur de ſermone generaliter, quatenus *cum ratione*, id eſt, *philoſophicè*, inſtituendus eſt.

usus obstaret, facili medela emendari. Etsi illud obstaculum non esse penitus insuperabile, Sinico etiam exemplo edocti fateamur. Constat enim ex *Ludovico le Comte* Tom. II. Memoir. p. 15. Imperatori Sinico facultatem esse, non solum *charačteres* immutandi veteres, creandi novos; *nomina* provinciarum, civitatumque & familiarum mutandi, sed & abdicandi *usum* certorum *terminorum*, effingendi alios, atque in conversationem, scripturam & libros invehendi; ut omnino appareat, quem nos sine necessitate tyrannum ferimus, loquendi usum cedere Legibus, cum id Imperantes voluerint. Tum vero, quod institutum est *Academiarum* excolendis Linguis destinatarum, si nævos non licet corrigere? Num minus licet pro Linguæ, ut sic dicam, regularitate obtinenda, quam fieri solet pro elegantia? &c.

§. 16.

Characteres & scribendi modus Sinicus.

Transseamus ad scriptionem Linguæ. *Non* sunt usitatæ inter Sinas *literæ*, *quabus nostri* utuntur ad consignandas scripto sententias animi: Characteres puto ejusmodi, qui immediate significent sonos quosdam, sive seipsis enunciabiles, vocales vocant Grammatici, sive aliis consonantes; & mediantibus demum sonis designent ideas rerum. Habent illi,

illi, & usurpant *Characteres*, quibus, ubi scripto agendum est, non minus *immediate res ipsas* designant, atque certis sonis illas significare nobiscum solent, ubi viva voce agitur. Non desunt nobis exempla characterum ejusmodi, quorum enumeratione declarari potest institutum Sinensium. Tales sunt, quibus *hodie* nos *Europæi* * utimur ad designandos Numeros, Ciphras vulgo appellare consuevimus, 1. 2. 3. 4. 5. &c. quibus *Astronomi* ad significandas Planetas & Zodiaci signa: quibus *Calendariographi* ad indicandos aspectus, & discernendos dies venæsectioni, scarificationi &c. instituendæ accommodos: quibus *Chimici* ad signandas operationes & materiam Chimicam: quibus *Geographi* ** quidam ad denotandas Metropoles, civitates munitas, sedes Episcopales, Portus,

* Dico, *Europæi*. Sinis enim id porteato simile visum est, ubi ex R. P. *Riccio* primum audiverunt, posse computationem scripto fieri: *Ipsi* machina utuntur satis simplici, cujus ratio non multum ab illo computandi modo abludit, quem calculis nostri (mit Rechen-Pfenning) absolvunt. Typum ejus æri incisum cum descriptione operationis vid. apud Spizelium p. 215. 216.

** Quoniam id nondum universale est institutum, placet eorum duos nominare, Gallum unum, alterum Germanum, *Guil. sc. Marcellum*, qui eodem artificio usus est etiam in tabulis suis Chronologicis, & *Benjaminum Hederich* in sua ad scientias historicas Introductione, P. I.

tus, freta &c. Quibus *Algabraistæ* in calculis utuntur suis: quibus *Musici* ad significandas modulationum differentias: quibus *Critici* ad notandos obelo, Lemnisco, antigrapho, ceraunio &c. libellos, quibus *Heraldici* ad designandos colores insignium: quibus *Magistri* Artis *saltandi*, *Feuilleti* Galli exemplo ad depingenda saltationum genera & modos: & quæ sunt alia illius instituti exempla, quæ particulatim Nostri, Sinæ universaliter usurpant. Scribunt vero characteres istos suos, vel pingunt potius (utuntur enim penicillo, non calamo) *neque* ab læva ad dextram deducto ordine, ut Europæi consueverunt, *neque* ut aliæ Orientis Gentes a dexrra ad sinistram, neque βυστροφηδὸν, id est, boum more sulcos ducentium, ut linea incipiat secunda, ubi desinit prima, quem antiquissimis Græcis modum placuisse ex *Pausania* docet Cl. *Spizelius*, sed a summo ad imum, quod genus Græci *Tapocon*, dixere apud *Festum*: quem etiam morem plerisque *Indis* usitatum esse Spizelius memorat, & de antiquis Insulæ *Taprobanæ* Incolis probat *Diodori Siculi* testimonio. Vid. Ipsius comment. de re litter. Sinensium, pag. 46. --- 49.

§. 17.

§. 17.

Nolim hic excurrere in illud argumentum, ut perquiram, an aliæ gentes eodem usi fuerint scribendi instituto? Præstitit id Vir Clarissimus, quem dixi, *Theophil. Spizelius* p.61 --- 103. ubi AEgyptiorum *Hieroglyphica* & *Gymnosophistarum* & *Druidum* & *Hermetis* Trismegisti literas: & *Pythagoricorum* Symbola, & *Zoroastris* & *Orphei*: & *Ebræorum* Cabbalam cum Sinicis contendit literis, & de Romanorum arte Notaria, *& de *Mexicanarum* gentium, & *Peruanorum* & *Japonum* scriptione, ex instituto & erudite disserit pro more suo. Maneamus intra præsens negotium. Illud facile Lectores prævident, secuturas de *formidabili characterum numero* querelas. *Duplex* copiæ ratio est, altera, quod subinde characteres immutati sint: altera, quod singulis rebus singuli characteres fuerint excogitati. Quod ad primum attinet, vetustioris literaturæ septendecim genera numerat Spizelius, l. c. p. 52. & seq. Accipe ipsa viri verba: *Primum* & antiquissimum ab ipso FOHIO Imp. Sinico inventum ex serpentibus & draconibus confectum est, & serpentes mire intricatos, inque varias formas transformatos

Characterum Antiquorum Septendecim genera.

* Adde, si placet, quæ prolixe disserit Matthias Martinius in Lexico Etymologico ad voces Notæ, Notaria & Notarius.

tos continet, unde & liber ille, quem de rebus mathematicis & Aſtrologicis FOHIUS conſcripſit, *Draconum liber* appellatur. Hodie vero figurarum harum utpote nimia vetuſtare deperditarum, apud Sinas uſus fere nullus eſt. *Alterum* genus ex Agriculturæ rebus concinnatum eſt, uſurpatumque a Sinico Imp. XINNUNG in annotandis illis, quæ ad Agriculturam neceſſario requiruntur. *Tertium* ex Alis avis FUMHOAN adornavit Imp. XAU-HOAM, edito peculiari de volucribus hiſce literis libro. *Quartum* notarum genus ex *Oſtreis* & *vermiculis* compoſitum eſt. *Quintum* ex *Herbarum radicibus*, quo priſci in voluminibus etiam conſcribendis uſi ſunt. *Sextum* ex decurtatis avium veſtigiis, hocque Regem CHOAM Autorem habet. *Septimum* ex Teſtudinibus conſtat, YAO inventore. *Octavum* Aves & Pavones exhibet. *Nonum* Herbas & Alas exprimit. *Decimum* a *Co* Tabularum quarundam autore memoriæ ſaltem gratia adornatum eſt. *Undecimum* ſtellas & Plantas Literarum loco ponit. *Duodecimum* literis Edictorum, Privilegiorum & magnarum Compoſitionum peculiaribus abſolvitur. Ad *Decimum Tertium* literæ *Teu çau chi cien Tao* pertinent. *Decimi quarti* generis notæ vocantur literæ quietis, lætitiæ, ſcientiæ, diſcurſus, ob-

obscuritatis, claritatis. *Decimum quintum* pisces continet. *Decimum sextum* propter obscuritatem nondum innotuit. *Decimum septimum* in sigillandis literis aut inscriptionibus splendidis usurpatur, cujus specimina aliquot exhibet *Athanasius Kircherus* Oed. Aegyptiac. Tom. III. Theatr. Hieroglyphic. c. 2. Recentiores vero *Sinæ*, non figuratis amplius characteribus, sed certis quibusdam linearum ductibus utuntur, qui tamen figuratas antiquorum literas non obscure referunt.„

§. 18.

Numerus characterum *hodie* usitatorum diversimodè iniri solet. *Petrus Jarricus* in thesauro rerum Indicarum numerat 40000. *Kircherus* in Oedipo 50000. e quibus tamen decem millia ad idioma perdiscendum sufficiant. *Alii* numerum extenderunt ad usque 120000. Vide Pfeifferum l. c. p. 314. & Spizelium l. c. pag. 50. 51. ubi simul indicat, omnes Sinarum characteres descriptos reperiri, in vocabulario magno, quod *Halpien* nominent, id est, *Oceanum*, intellige characterum. Illustris Dominus *de Fourmont* cum *Ludovico le Comte* & plerisque aliis numerat 80000. & loco ante allegato memorat, ex mandato Serenissimi Aurelianensium Ducis PHILIPPI, & auspiciis *Illustrissimi Abbatis Bignonii* eorundem

Numerus & diversitas hodiernorum.

dem characterum plusquam 25000. millia jam tum cælata fuisse, inservitura Dictionario Sinico, cui elaborando *Hoamge* * insudaverit, & post ejus mortem ipse nunc invigilet. Differunt vero non solum diversarum rerum characteres à se invicem, sed & ejusdem rei characteres diversi pro *diverso scribendi genere. Quatuor* video recenseri scriptionum genera: In eorundem declaratione non videntur perfecte Autores consentire. R. P. *Semedo* apud Spizelium p. 58. refert,„ *primum* genus esse antiquum & a literatis intelligi solitum, sed non usurpari, nisi in Titulis & sigillis insignium loco: *Secundum* esse usitatius tam in Manuscriptis, quam impressis codicibus: *Tertium* in Negotiis publicis, ad eum fere modum, quo & inter Nos Notarii & Scri-

* Erat hic *Hoamge* Natione Sina, quem Illustrissimimus *Episcopus Rosaliensis* secum ex oriente adduxerat, & LUDOVICUS XIV. Galliarum Rex Dictionario Sinico elaborando admoverat. Mortuo illo *Serenissimus Aurelianensium Princeps*, Gallici regni Administrator laborem eum DN. *Fourmontio* imposuit, ut chartas defuncti examinaret, quæ ad intelligendam linguam Sinicam facerent, extraheret, & continuaret Dictionarium. Monet vero DN. *de Fourmont*, opera ab *Hoamge* relicta non ascendere ultra 5000. Characterum, atque ipse de suo promittit volumina omnino duodecim (*douze ou quatorze in folio*) complexa diversi generis Dictionaria, Grammaticas, Dissertationes, Notas. Vide *Mem. de Trevoux*. loc. cit.

& Scribæ publici nonnihil a communi ſcriptione differant. *Quartum* adeo a ceteris differre tum literarum ductibus, tum abbreviaturis, ut ſeorſim illud addiſcere neceſſum ſit. Ita vocem *Sie*, quæ gratiarum actionem notet, tribus diverſiſſimis modis ſcribi.,, R. P. *Le Comte* ita quadruplicem illum ordinem exponit, ut „*primi* generis literas neget in uſu eſſe, & ſolius antiquitatis amore & honore conſervari. *Secundas* minus vetuſtas non adhiberi niſi in Inſcriptionibus publicis atque Dictionariorum ope inveſtigari & intelligi. *Tertias* multo pulcriores & magis regulares inſervire Impreſſioni & ſcriptioni ordinariæ, ſic tamen ut moram in ſcribendo faciant ductus earum artificioſius formandi. Itaque *quartum* genus inventum eſſe, cujus magis cohæreant ductus, & minus diſtincti ſint, atque adeo ad feſtinatam ſcriptionem accommodatiores. Vocari ideo *currentes* literas. Atque hæc tria ſcriptionis genera multum inter ſe ſimilitudinis habere, & reſpondere noſtris Uncialibus ſive Romanis grandiuſculis, literis typographicis, & ſcriptioni ordinariæ.,, Vide Nouveaux Memoires ſur l' Etat preſent de la Chine, Tom. I. p. 277. 278.

§. 19.

Google

§. 19.

Incommoda multitudinis Characterum intelligendorum & pingendorum.

Quid de hoc ſcribendi modo ſentiendum ſit, ex *Semantica* Artis præſcripto judicandum erit. Sunt *commoda* ejus ſcriptionis; ſunt *incommoda*. Quæritur, utra ſint majora? &, ſi incommoda præponderent, an illa evitari queant, ſervatis commodis? an ſecus? an omnino emendari ſic, ut majora etiam commoda accedant? *Decidi* negotium, niſi omnibus perpenſis, non poteſt. *Neſcio* ego omnia rei momenta: igitur, quicquid dixero, particularibus tantum conſiderationibus abſolvetur. *Incommodum* eſt ſine dubio, & *graviſſimum* illud quidem, quod infinitos pæne characteres noſſe neceſſum ſit, dum legere ſcripta queas, aut pronunciata ſcripto conſignare. Hanc *ignorantiæ* inter Sinas obviæ *originem* eſſe putat *Ludovicus Le Comte*, quod omnem pæne vitam in addiſcenda characterum Lectione & Scriptione conſumendo, ſcientiis ipſis minimam ejus partem valeant conſecrare. Namque, ut & hoc addam, non ſufficit, characteres noſſe, & pingere poſſe: requiritur, ut *bene pingas*. Sunt Sinæ Antipodes eorum, qui putant *doctos male pingere*; atque id eousque, ut ad primum litteratorum gradum (Baccalaureis illum noſtratibus comparant Autores) non admittantur, niſi qui prius exhibuerint

hibuerint specimina scriptionis elegantioris. Quin etiam character unicus male formatus in aliquo opusculo haberi dicitur pro errore gravi; & quoniam sæpè addita aut mutata unica lineola integrum mutari sensum contingat, sufficere id unum, ut in examine alicui gradus negetur doctoralis, consequenter omnis fortunæ splendidioris spes præcidatur: Ita fieri, ut Magistratus omnes (*Mandarinos* vocamus) eleganter pingant, atq; ipse etiam Imperator,* ut in aliis, ita & hac parte ceteros antecedat. Vid. *Lud. le Comte* p 278.279. Velim tamen, attendant hoc loco Lectores, quod *non* magis *necessarium* sit Sinis, *nosse* characteres Linguæ suæ *omnes*, ac inter Europæos necessarium est, nosse omnia alicujus Linguæ vocabula.

X Quis

* Præbet hujus rei specimen illustre Tabula, *King Tien* dicta, ob lites inde enatas celeberrima. Inscripserat illi binos istos characteres Imperator CHAMHI A. 1675. d. 2. Julii in Cella RR. PP. *Ferdinandi Verbiesti*, & *Ludovici Buglii*, cum visitaverat magna Aulicorum copia stipatus Monasterium RR. PP. Jesuitarum. Quoniam vero istæ literæ non satis eleganter expressæ videbantur Imperatori Maximo, redux in Palatium, alteri Tabellæ majori duos & dimidium cubitos altæ eosdem Characteres majori diligentia & accuratione inscripsit, addito etiam sigillo Regio, atque ad eosdem Patres transmisit. Vid. Breve Ristretto delle Notizie circa l' uso delle Tabelle colle parole Cinesi KING-TIEN, pag. IV,

Quis eruditorum, etiam Criticorum, novit omnia Græcæ Latinæve Linguæ vocabula? Et intelligimus tamen autores, & cum necessum est, enuncleamus sententiam nostram istis idiomatis? Quis Gallus aut Germanus novit omnia vernaculæ suæ vocabula? Num ideo non sermocinamur, & scribimus Gallice aut Teutonice? Num enunciata aut scripta non intelligimus? Non est igitur id præter ordinem, nec desidiæ in Sinis argumentum haberi potest, cum dicitur *vix quemquam* Eruditorum plures *dimidia* parte characteres animo tenere: notitiam eorum rarius ultra quindecim aut viginti millia assurgere; communiter eos numero multum minori acquiescere: sufficere etiam aliquot millia ad usum scribendi quotidianum. Fit eo, ut multum *imminuatur difficultas*, vel etiam, ut ex impossibilitate res deprimatur ad difficultatem. Sed vero *suppone, decem millia* Eruditis saltim clarioribus, esse necessaria: ingens hoc opus est, addiscere decem mille characteres, nulla rerum analogia cohærentes, & in minutis tantum lineolis differentes, neque eum laborem, sine detrimento studiorum realium quisquam subeat, nisi compendiis adjutus, atque artificiis omnino insignibus.

§. 20

§. 20.

Duplicis illa generis esse possunt. *Aut* enim *ad sonos* significandos attemperantur characteres ea methodo, ut eorum simpliciter significantium parvus solum numerus sit, multitudo obtineatur per combinationem. *Aut ad res* immediate *ipsas* accommodantur, sed simili cautela. *Primum Europæis* characteribus inest artificium, mirantibus Sinis: Secundum dicitur obtinere in Sinensibus. Memorat *Ludovicus Le Comte* p. 274. non comprehendere Sinas, quo modo id fieri possit, ut figuris paucissimis, iisdemque nihil singulatim significantibus, omnes exprimi, & designari ideæ, condi volumina, & impleri Bibliothecæ possint: Incognitum ipsis id artificium esse, etsi ceteris gentibus communissimum, sive quod nunquam cum vicinis commercia coluerint, sive quod inventa peregrinorum omnia habuerint contemtui. „*Neque* vero isthæc *admiratio barbariem* testatur, aut probat Sinicam: Admirantur nostrum scribendi artificium, quibuscunque datum est philosophari de signis; quin & regulas ex hoc exemplo generales eruunt, qui cum ratione potius quam ex sola consuetudine hic agunt. In omni characteristica, secundum artem exercita, id observatum est huc usque, *ut* simplicia simpli-

Modus immi- nuendi multitudinem Europæus.

cibus & arbitrariis, adeoque per ſeſe nihil ſignificantibus characteribus exprimantur; *ut* characteres ſimplices tot inveniantur, quot ſunt ſimplicia ſignis iſtis denotanda; *ut* pro obtinenda multitudine modus excogitetur combinandi ſimplices characteres, *ut* combinationis ordo exprimat, quantum fieri poteſt, relationem, quæ eſt in ſimplicibus per characterem deſignatis. Optime id Græci, Latini, Germani noſtri, & non paucæ gentes aliæ executæ ſunt in literis ſuis. * *Primo* magna cum ſolicitudine & accuratione diſtinxerunt Inventores antiqui ſonos, ſive ſeipſis ſonantes & voca-

* Memento ſermonem hic eſſe generalem: *ſpecialia* non attendi. Alioquin hic diſſerendum eſſet de diſcrimine v. g. Linguarum occidentalium & orientalium quoad vocales; de modo immutandi ſonum literæ per additamenta, ut per dageſch &c. de modo deſignandi intervalla ſonorum, per ſcriptionem vocum nonnihil ſeparatam, per ſi gna diſtinctionum; de modo indicandi elevationem aut depreſſionem vocis, aut enunciationem citatam, gravem, moroſam, &c. de literis, quæ ſunt aut videntur ſuperfluæ in Lingua Gallica, Anglica, Polonica, &c. Excutiendum quoque eſſet diſcrimen ſcriptionis ad Linguam jam introductam applicandæ, aut introducendæ cum Nova Lingua; ſcriptionis ab initio inveniendæ, aut corrigendæ ſolum & emendandæ &c. quæ tantum *eo fine* indico, ut intelligas, quanta adhuc meſſis in herba ſit, cum de Philoſophica Linguarum & Literarum conſideratione quæritur?

vocales adeo, sive prioribus consonantes; sed simplices. Fieri id sine sollicita aurium, oculorumque & organorum loquelæ destinatorum consultatione non potuit: unde etiam accidit, ut successive accesserint, quæ omissa fuerant a prioribus. Ita ego rem intelligo, ubi *Cadmum* invenisse, *Palamedem*, *Epicharmum*, *Simonidem*, *&c.* addidisse literas aliquas lego in antiqui temporis documentis. *Secundo* illis significandis invenerunt characteres ex arbitrio sane, sed tales tamen, ut admittant combinationem in scriptione, qualem soni habent in elocutione. Ita factum est *tertio*, ut relationes, quæ in sonis observantur omnes, aut plerasque & præcipuas, exprimere signis suis potuerint. Est hoc ultimum præceptum ex præcipuis in arte characteristica, atque illud hoc loco observatum satis feliciter, modo *memineris*, considerari hic literas non ut signa rerum sonis denotatarum, sed ut signa sonorum. Ita enim certum est, suppositis characteribus simplicibus, quos ex arbitrio assumi posse monui, omnia, quæ in sono vocabuli discernere licet, in scriptione etiam illius deprehendi, & eodem ordine. Non licet pressius persequi id artificium; sequantur hoc filum, quibus placet. Sufficit, intelligere lectores, *quantum* sit *nostrum*

ſcribendi compendium, & in quo conſiſtat ejusdem *artificium*. Sane enim ad ſonos verborum deſignandos vix ullum aliud præſtantius excogitari poteſt: etſi ſuis non careat *incommodis*, ubi ad res ipſas deſignandas adhibetur; ejusmodi illud eſt, quod pro diverſis ſonis, quibus eadem res appellari inter diverſas gentes ſolet, characteres alii atque alii eandem rem deſignent, *non* intelligibiles *univerſaliter*; ut enim *latinis* omnia literis ſcriberentur, alii characteres ſunt, ubi ſcribitur: canis alii, cum ſcribitur: Chien, Dogge, Kyon, Cheleb &c. &c. Hoc *primum* fuit *artificium* evitandi moleſtiam ex multitudine characterum oriundam, ſed *particulariſmo* prægnans, ut ſcripta a Gallo intelligi a Germano non poſſint.

§. 21.

Modus facilitandi copiam characterum Sinicus.

Secundum hoc foret *artificium*, ſi characteres non ad ſonum immediate ſignificandum adhiberentur, ſed *ad res ipſas*; ea tamen *cautela*, ut ſimplices iterum pauciores eſſent, ceteri certo ordine e ſimplicibus compoſiti, ſic, ut nonniſi ſimplices noſſe & earum combinandarum regulas tenere oporteret, ad exprimenda ſcripto animi ſenſa; quemadmodum id in *ciphris* experimur vulgaribus. Bina hic diſquiſitio inſtitui poteſt; *hiſtorica* altera, altera *Philoſophica*;

sophica; *illa* ut intelligatur, an Sinæ uniformitatem in characteribus servent significationi eorundem respondentem; *hæc*, ut inquiratur, quomodo inveniri queant characteres ejusmodi reales, ut quam commodissime res repræsentent? quod *ad Sinas* attinet, dubium non est, esse *in* ipsis *characteribus* aliquam *convenientiam* & differentiam, quæ sub generali schemate queat concipi; Id enim nisi foret, Dictionaria condi nulla possent, in quibus characterum valor investigari posset. Quis enim uniuscujusque characteris causa tot mille characteres percurrat, ut ejus significationem venetur? Non itaque id dubium esse potest, esse *genera* aliquot *&* *species* ex characterum ductibus distincta, sub quibus illi comprehendantur, tanquam sub suis classibus. Sed vero id nonnisi *inquirendi* in Lexico *laborem* minuit; nondum juvat *memoriam*, nisi & respectu significationum aliqua observetur uniformitas posita in combinatione aut collocatione ductuum simplicium. *Non* ego hic *meis* video oculis: nitor fide aliorum. Nota sunt eruditis magnifica ANDREAE MULLERI, *Greiffenhagii* promissa. *Clavem* ille *Sinicam* pollicitus est, cujus auxilio *Sinicorum characterum lectio facile, & facilius, quam ullius alius Scripturæ expediri, totaque legendi ratio exa-*

ctissime cognosci possit. Describo hæc ex Actis Eruditorum Lipsiensibus 1687. Mense Martio p. 131. ubi ex ejusdem Viri opusculo sequentia illius verba exhibentur: „Nihil autem est, quod amplius promittam, nisi quod soluto, sub „cautione, præmii dimidio (alioquin, „ne in sinistras manus post fata deveniat, „nihil de struenda clave laborans) Deo „dante, intra semestre aut citius clavem „concinnaturus, postea que quemcunque, etiam mulierculas & pueros intra paucos dies docturus sim, ut nihil „non integrorum contextuum, ex quibuslibet libris, aliisque congrue scriptis „chartis, non Sinice quidem, sed Latine „vel Germanice, vel Anglice, vel Gallice, vel Belgice vel alias legant.„ Sunt hæc ejusmodi, ut, quantumcunque promissor præmium postulet, nimium esse non possit, ubi verbis facta responderint. Quantæ utilitatis foret ita scribere, ut epistolam Turca non minus, quam Belga, Aethiops & Indus legat sua unusquisque vernacula? Quanta commerciorum epistolicorum in universo orbe facilitas? Sed vero caremus & clave & commodis. *Quousque* tamen ex vero aliquid *Müllerus* promisit, *eousque* intelligitur, uniformitatem significationis aliquam obtinere in characteribus Sinicis. Quoniam id definire non licet, an multum sit, an exiguum, pla-

placet recentius testimonium allegare *Illustris* FOURMONTII. Non ego sine voluptate legi sententiam viri in *Comment. Trivultinis*, qua testatur Sinas in compositione characterum suorum observasse ordinem Philosophicum plane & exactum; elucere ex illa summum ingenium, & humanæ artis quendam apicem in illis conspici, ad quem non assurgat systema physicum quodcunque. *

§. 22.

Fortasse id nimium videbitur aliquibus, comparari artem in characteribus inveniendis positam cum scientiis, & æquari illis aut anteferri: Tollam facile id scandalum, sequenti paragrapho 24. Hoc loco *specimen* adjungo *ordinis* aut connexionis *inter* characteres quosdam *Sinicos*. Unicum mihi innotuit, quod ex *Atha-*

Specimen Characterum Sinicorum.

X 5

* Accipe Verba, ut habentur in Comment. Trivult. A. 1712. l.c. „La Lecture (des Chinois) est quelque chose d'immense, puisqu'il y a 80000. characteres, que chaque être a le sien, & que ces sont proprement des Hieroglyphes. Mais selon Mr. de Fourmont le bel ordre, que les Chinois ont gardé dans la composition de ces characteres, ordre philosophique & geometrique; & en fait des Langues le plus analogique, qui fut jamais; cet ordre, dis-je, diminuë de beaucoup les difficultés, qui se presentent d'abord par ce nombre infini des characteres. Mr. de Fourmont soutint, que la composition des Characteres Chinois est le plus noble effort de l'humanité, & qu'il n'y a point de Systeme physique, qui y approche.„

Athanasio Kirchero repetit *Augustus Pfeifferus* in Critica sacra, & nonnihil variatum exhibet Theophilus Spizelius in Commentario: Idem * igitur & hic legi, sine characteribus tamen adjunctis, nemo gravabitur. Verba *Pfeifferi* hæc sunt: „Characteres isti symbolici Sinarum *non tumultuarie* instituti sunt, *sed ingeniose* excogitati, adeo ut in ipso charactere sæpe lateat arguta rei descriptio, aliaque arcana, quæ Sinæ per omnem vitam nonnisi indefessis vigiliis addiscunt. Sic e.g. figura crucis ✚ apud Sinas exprimit *denarium* numerum, perfectionis symbolum. Huic si subjiciatur alia linea, efficitur character, qui significat *terram*, quasi omnis perfectionis basin: si addideris superius aliam lineolam inferiori parallelam, efficitur character significans *Regem*, quasi terræ Dominum, vel qui est supra terram: apposita lineola a latere efficit characterem, qui exprimit *gemmam*, quasi ornamentum regium: denique si supra ponatur character alias *hominem* exprimens

* *Eadem* hæc *scena* est, quam & *Arithmetici* ludunt in Logarithmicis: omnes *uno* utuntur exemplo, *novenarii* nimirum, ubi processum investigationis Logarithmorum ostendere instituunt. Scilicet id primus, quem scio, *Adrianus Vlacqius* exhibuit in declaratione usus tabularum c. 1. Ex eo ceteri transscribunt, etsi novum aliud computare non tam difficile sit, quam operosum. *Hic* tamen non oscitantia intercedit mea, sed notitiæ defectus.

mens notatur *omnibus numeris perfectus*, quasi dicatur *homo regius*, sive inter omnes excellentissimus. ---- Alia quædam hujus generis dabit *Kircherus* in *China illustrata* parte VI. c. 2. 3. Verum plura & certiora peti possent ex oculari inspectione *Hai-pien* sive oceani, id est, magni vocabularii Sinici. „ Hactenus *Pfeifferus*: Atque ita est sane, qui de ordine characterum sermonicari ex sua scientia vellet, comparare illos magno numero, & quæ in illis communia deprehenduntur, sigillatim annotare deberet: Id vero eorum est, quibus nosse characteres & contendere datum est.

§. 23.

Quid Character universalis, realis, nudè significativus?

Nobis hoc loco illud potius adjungere placet: Recte illos, qui characteres *Sinicos* existimaverint adhiberi posse *loco scripturæ universalis*; Cessat enim hic incommodum particularissimi, quod ante allegavimus §. 20. Quemadmodum Ulyssipone non minus, quam Viennæ & Holmiæ legi, diverso sermone, numeri ciphris designati possunt, quoniam non voces, sed numeros illæ designant: ita in ceteris characteribus omnibus fieri idem potest, si rebus immediate significandis adhibeantur. *Reales* ejusmodi *characteres* vocant Eruditi: Memineris tamen, id *duplici* significatu dici posse. Sensus *alter* est, quo characteribus opponuntur

nuntur illis, qui sonos designant immediate, & mediantibus demum sonis res ipsas. Ita enim *Reales* illi *dicentur*, qui rebus immediate ipsis adhibentur denotandis. Hanc viam ingressi sunt omnes illi, qui *Scripturam* invenire aut persuadere *oecumenicam* annisi sunt. Notum est, *Casparis Schotti* testimonio *Athanasium Kircherum* elaborasse in aliquo ejusmodi instituto, ejusdemque editionem intendisse Anno 1663. sic tamen, ut nonnisi pauca imprimi debeant exemplaria, Principibus communicanda. * Neque minus *aliud* ejusmodi

---

* Titulum Libello *Kircherus* hunc fecit, a *Schotto* exhibitum in *Technica Curiosa* p. 482. „Athanasii Kircheri e Soc. Jesu *Polygraphia* nova & *universalis*, ex combinatoria arte detecta; qua quivis etiam Linguarum quantumvis imperitus, triplici methodo; *prima*, vera & reali, sine ulla latentis arcani suspicione, manifeste; *Secunda* per technologiam quandam artificiose dispositam; *Tertia* per steganographiam impenetrabili scribendi genere adornatam; unius vernaculæ linguæ subsidio, omnibus populis & linguis clam, aperte, obscure & dilucide scribere & respondere posse docetur, & demonstratur: In tria Syntagmata distributa, in Principum gratiam & recreationem inventa, & in lucem edita felicibus auspiciis LEOPOLDI Rom. Imp. semper Augusti. Romæ ex Typographia Varesii, MDCLXIII. Superiorum permissu.„ Dedi *integrum* opusculi titulum, qualem ex Epistola Kircheriana *Schottus* exhibet; ut de Consilio Viri constet apertius: Nescio enim, an ille revera editus sit libellus, nec ne?

modi artificium *Mercurii Mono-panglotti* nomine ex *Hispani* cujusdam *Jesuitæ* invento tradit idem *Schottus* in Technica Curiosa p. 483. & seqq. Additque auctorem A. 1653. Romæ in uno solum expanso folio illud edidisse sub hac Epigraphe: *Arithmeticus Nomenclator Mundi omnes nationes ad Linguarum & sermonis unitatem invitans Autore lingua, (quod mirere) Hispano quodam, vere, ut dicitur, muto.* Tertium est *Jo. Joachimi Becheri*, Spirensis, cujus summam exhibet idem *Schottus* L. VII. c. 11. p. 505. & seq. neque ego diffiteor, plurima hic ex artis præscripto observari, etsi non dubitem posse in non paucis addi utilia, in aliquibus superflua demi, alia etiam non incommode variari. *Jo. Wilkinsii* Angli conatus perpendere non licuit; edidit ille Librum, quem inscripsit Tentamen alicujus Characteris Realis, & Linguæ Philosophicæ, *An Essay towards a Real Character, and a Philosophical Language*, London. 1668. fol. plag. 153. Si *aliorum* stare testimonio liceat, realem ille characterem eo sensu dicit, quem hactenus persequimur, neque ad illum assurgit, quem §. 24. exponam. *Idemque* institutum tenet Vir Clarissimus, *Davides Solbrigius*, cujus de scriptura oecumenica, ciphris scilicet numericis præstanda significationem exhibent *Miscellanea*

lanea Berolinensia, Continuatione prima p. 28 --- 39. *Accedere* id institutum ad Becheri meditationes, salvis tamen differentiis specialibus, ex comparatione intelligas, ita enim de consilio suo Cl. *Solbrigius* p. 35. „Paucis nunc tantum dicimus: Numeros ad millenarios sat multos suo ordine esse conscribendos: singulis singulas res, quas significant, vocabulis non ambiguis affigendas: conficiendos ex his duos libros, qui claves sint scripturæ œcumenicæ, synthetica altera ad exarandam & componendam hanc scripturam, altera Analytica ad eandem recludendam & intelligendam: constituendum porro Alphabetum œcumenicum, quo non novæ fingantur literæ, vel nostræ aliis obtrudantur, sed ratio ostendatur, qua nomina propria & soni alii, quicunque sic scribantur, ut quælibet gens suis ea literis legat: utendum etiam aliquo subsidio, quo efficiatur, ut numeris abrogata, ubi opus erit, rerum significatione, vis sua numerica redeat.„. Equidem *isti omnes* accommodant characteres ipsis immediate rebus significandis, sed *arbitrario* ordine, siquidem aut alphabetum sequuntur, aut classes rerum utcunque ordinant, & congerunt, quæ v. g ad elementa pertinent, ad cœlum & cœlestia, ad intellectualia, ad statum secularem,

Eccle-

Ecclesiasticum, artifices, instrumenta affectus & habitus, religionem, confessionem sacramentalem, tribunal, militiam, medicinam, bruta animantia, aves, reptilia & pisces &c. Vide *Schottum* in Technica p. 485.

§. 24.

Aliud institutum est, cujus meminit *Leibnitius* in epistola ad Virum Illustrem *de Remond*. Postulat ille characterem *hoc sensu* realem, ut tanquam per analysin speciosam generalem omnes, si a factis & historia discesseris, veritates erui, quasi per calculum, possent. Loquitur Vir magnus, ut *in ænigmate*: ait, in epistola 10. Januar. 1714. Viennæ data: „si junior foret, si minus implicitus laboribus, si opera sociorum adjutus, sperare se, quod speciosam Generalem vellet exhibere, in qua omnes veritates liceret ad instar aliquod calculi revocare: fore illam simul *speciem* quandam *linguæ* & *scripturæ universalis*, sed mirum quantum diversæ ab illis omnibus, in quibus huc usque elaboratum sit ab aliis; characteres enim ipsas & vocabula directura esse rationem; & errores omnes, præterquam in factis, non fore nisi errores calculi. Difficillimam fore ejus *linguæ characteristicæ* inventionem; sed semel inventam posse addisci facillime, & sine Dictionariis. Eandem ad judicandos *ve-*

Quid Character universalis, realis, & scientificus?

ro-

Digitized by Google

rosimilitudinis gradus inservituram, ubi sufficientia desiderentur data perveniendi ad veritates certas, atque ad detegendum id, quod pro obtinenda certitudine adhuc suppleri oporteat. Vid. *Recueil* de diverses Pieces sur la Religion, la Philosophie & les Mathematiques, par Msr. *Leibniz, Clarcke, Nevvton*, Tom. II. pag. 130. 131. Et *in altera* ad eundem epistola 14. Mart. 1714. itidem Viennæ data, inquit: „se de *speciosa sua generali* locutum esse cum Illustrissimo Marchione *Hospitalio*, & aliis: non illos tamen isti rei animum applicuisse magis, quam si somnium ipsis aliquod narrasset. Ad approbandum aliis consilium intelligere se, quod specimine opus esset, in quo usus conspiceretur palpabilis: fieri id autem non posse, nisi prius partem *suæ Characteristicæ* aliquam elaboret, quod omnino sit difficile, eo saltem statu, quo ipse collocatus sit, vid. loc. cit. p. 139. *Videor* mihi intelligere *generaliter*, quid postulet aut promittat Vir doctus? *Si quis* summa rerum omnium genera & principia simplicissima eruat & congerat; *Si quis*, earum relationes omnes investigat, & in classes referat; *si* characteres rerum & relationum ejusmodi inveniat, ut combinari ex simplicibus secundum ipsas rerum connexiones compositi possent; *si* regulas excogitet,
qua-

quarum ope possent æquipollentia sibi mutuo substitui: Credo illum prope abfuturum ab instituto Viri Illustris. *Posse* illud *fieri*, successivo labore, nequaquam despero. Certum enim est, esse quædam universalia rerum genera & principia, essentiam, existentiam, substantias, modos, ordinem, similitudinem, &c. Esse & relationes atque cohæsiones rerum omnium generales, connecti omnia invicem ut principia & principiata, causas & effectus, subjecta & adjuncta, conatus, actiones, resistentias & passiones, facultates & objecta, coëxistentia & succedentia, & si quæ alia hic attendi, atque in classes digeri merentur. Quod si ista *characteribus* & signis repræsentari contigerit *ejusmodi*, ut ex simplicibus fieri possent compositi; (quemadmodum v. g. ex simplici abscissorum per x & semiordinatarum per y notatione, posita diametro 2a, & abscissis a centro computatis, character circuli compositus evadit, $yy = aa - xx$) si deinde ex natura relationum erueretur substituendi æquipollentia methodus, respondens in suo genere illi, quem ex sua magnitudinum relatione invenerunt Analyseos speciosæ Autores: possent metaphysicæ veritates calculo non minus subjici, quam huc usque mathematicæ; sed

calculo tamen ſui ordinis. *Calculus* enim *in genere* dicit methodum ſubſtituendi characteres æquipollentes: patet autem æquipollentia latius magnitudine, & characteres quantitatibus. Si quis characterem *judicis* compoſitum haberet, quo idea ejus diſtincta, ſive jura & officia exprimerentur, ſi ſimilem *conſcientiæ humanæ*; ſi ex natura objectorum, & facultatis vel actionum circa iſthæc verſantium, regulas teneret ſubſtituendi ſibi mutuo characteres æquivalentes: poſſet ille *calculo* eruere, *quænam* Dei attributa valeant ex *hac* idea inferri. Similiter ſiquis characterem *univerſi* haberet talem, ut ille ideam ejus diſtinctam & completam, hoc eſt, definitionem referret, ſi characterem *cauſæ efficientis*; ſi ex relatione cauſarum & effectuum regulas noſſet ſubſtituendi characteres æquipollentes: poſſet *calculo* definire, *quænam* ex *hac* Dei notatione queant perfectiones concludi. Nolim plura *hoc loco*: Putem intelligi, non id impoſſibile eſſe, ut aliquis metaphyſice-Algebraiſta, aut Algebraice-metaphyſicus, ſed otio & patientia præditus, & ingenio florens feliciori, novæ characteriſticæ & calculi ſpecimina Eruditis exhibeat. Sufficit id vero, ut agnoſcas, *quid* ſibi *velit appellatio* characteris univerſalis, realis, & ſcientifici: *Univer-*

ſalis

salis foret, quatenus Linguarum, idiomatis nequaquam alligatus; *realis*, quoniam & rebus immediate significandis adhibitus, & earum quoque relationes exprimens; denique *scientificus*; quatenus ad eruendas computo conclusiones accommodatus & idoneus.

§. 25.

Exposui *duo* characterum *realium* genera: *cuinam* eorum accenseri oporteat Sinicos, dixerint rerum gnari. *Spero* illos meliores esse, quam ut ad primam tantum classem omnes pertineant: *Metuo* autem, ut in classis secundæ requisitis deficiant, saltim quoad relationes rerum eas, quæ calculum fundare possint regularem. *Optarem* tamen, extare illos publice, ut, si quid adminiculi ad characteres rerum scientificos condendos afferre possent, eo res Litteraria diutius non destitueretur. Facit testimonium *Illustris Fourmontii*, ut non pauca *expectem*, quæ ad rerum connexiones signis & characteribus exprimendas utilia esse possint; semper etiam illud certum puto, facilius emendari antiqua, & inventis addi, quam ab initio omnia erui. Itaque id pro rei publicæ literariæ bono, & incrementis scientiarum præoptamus, ut otium Viro Illustri, & subsidia præsto sint, ad perficiendum, cui incumbit, laborem; & demonstran-

Ad quam classem pertineant Characteres Sinici?

dum publico ordinem, quem splendide commendavit. Vid. §. 21. in nota. Redeamus ex diverticulo in viam, & quænam *alia* Sinicæ scriptionis *commoda* fuerint, enarremus.

§. 26.

Typographia Sinica. *Typographiam* a Sinis primum inventam esse & ex longissima temporis intervallo inter ipsos florere, communis fert sententia * Videor mihi illius rei *occasionem*

* Vide, quæ pluribus in hanc sententiam disserit sæpe laudatus *Spizelius* in Comment. Sect. III. p. 34. & seqq. Renititur quidem Vir doctissimus *Renaudotius* in notis suis ad vetera duo Itineraria a duobus Mahomedanis scripta, & ab ipso ex Arabico Sermone translata in Gallicum, & Parisiis edita An. 1718. Contendit, *perperam vulgo* Chinensibus tribui inventionem artis typographicæ, Pyxidis nauticæ, pulveris pyrii, globorum cœlestium &c. ipsorumque scribendi rationem censet ostendere simplicitatem eorundem, cum Europææ gentes scriptura multo meliori magisque artificiosa utantur. Vid. Acta Lips. in supplem. Tom. VII. Sect. V. p. 228. *Fateor* autem, decessisse magnum autoritati Renaudotianæ in rebus Sinicis pondus, ex quo *Fourmontius*, etsi sodalis Renaudotii in Academia Litterarum elegantiorum, & ejus post fata etiam reverens, testatus est, defuisse Viro notitiam Linguæ & Historiæ Sinicæ. Ut non dicam extare & R. P. *Duhalde* epistolam, qua refutat ideam de Sinensibus iniquam *Interpretis* duorum Tractatuum Arabicorum, itemque Autoris Libelli: *Gyro del Mondo.* Edita est Epistola in collectione XV. Recueil XV. des Lettres edifiantes & curieuses des Missions Etrangéres par quelques Missio-

ca'ionem in ipſo ſcribendi genere Sinico deprehendere. Dabo coniecturæ argumentum, ubi typographiæ Sinicæ rationem expoſuero. Memorat *Ludovicus le Comte* Tom. I. p. 279. 280. Si quis edere libellum velit, primo curare, ut quam elegantiſſime deſcribatur: ſculptorem deinceps unumquodque folium agglutinare tabulæ ligneæ politiſſimæ; & ſequi ſcalpro ductus ita fideliter, ut characteres exacte reſpondeant exemplo ſuo; idque cousque, ut ſi eodem atramento & papyro uſi fuerint in ſcribendo & excudendo, diſcerni a manuſcriptis impreſſa non poſſint; unde etiam accidat, ut excuſa ſint magis minuſve elegantia pro ratione ſcriptionis, quam ſculptor imitatus fuerit: Tabulas ita multiplicari pro numero paginarum: integra ad aſſervandas illas conclavia requiri, ſi quod volumen majus edi debeat; ex adverſo neque correctoribus opus eſſe in typographia, quoniam rariſſime ſculpendo errent; neque omnia eodem tempore exemplaria excudi, ſed pro ratione venditionis diverſo tempore & numero; minori igitur & periculo & ſumtu poſſe plura eorum millia ſucceſſive imprimi.„ Satis iſta conſentiunt *initiis*

Miſſionairs de la Comp. de Jeſus. Pariſ. 1722. 12. Voyes *Memoires de Trevoux* 1722. m. d'Aout p. 1407. 1408.

tiis typographiæ *noſtratis*. Notum eſt, in principio nondum ſingulas literulas ex metallo fuſas eſſe, & combinatas demum & conſtituendas ſyllabas & voces; ſed ligno integras voces, periodos & paginas fuiſſe inciſas. Vidi ipſe exemplum ejusmodi Tabulæ antiquæ ad prima Geneſeos capita pertinentis, quam in Bibliotheca ſua inſtructiſſima Francofurti aſſervat *Per-Illuſtris Dominus de* UFFENBACH. Majoris id ingenii fuit ex disjectis literulis combinare orationem ea methodo, quam hodie ſequuntur, maximo operæ compendio, Noſtrates: igitur facilius inciderunt noſtri & Sinæ in ſimplicius alterum. Quod *hi citius* noſtris, *poteſt* ex antiquiori litterarum cultura ducere originem: *poteſt* ex eo, quod Sinici Characteres fere grandiuſculi facilius inſculpi ligno poſſunt, quam tenuiſſima noſtrorum elementa; *poteſt* ex eo, quod ſingulas voces uno charactere ſignant, non plurimis mutuo compoſitis; involvitur enim hic incommodum, quod ante & modo diximus: *poteſt* ex eo, quod atramentum, quo Sinæ ſcribunt, inſervit etiam impreſioni, Noſtratibus novum invenire neceſſum fuit; *poteſt* ex fortuita occaſione id conſilium enatum eſſe: *poteſt* ex deliberata meditatione & amore multiplicandi volumina publico utilia; de quibus nihil determinatum li-

cet

cet affeverare. Puto tamen non abſurde colligi ex enarratis, *Sinicum* ſcribendi genus *faciliorem* aperuiſſe viam ad typographiam iſtam: *Noſtrum*, inventa ſemel typographia, eſſe magis commodum, & *minus ſumtuoſum* Typothetis. *Illam* typographiæ rationem eſſe ſimpliciorem; *noſtram* artificioſiorem. Ita commodum *ex ſuis* characteribus Sinas, *ex noſtris* etiam Noſtrates percipere, *utrinque* limitatum & affixis quoque incommodis temperatum. §. 27.

Illud neſcio, quo argumento Sinicæ ſive pronunciationi, ſive ſcriptioni imputet *Spizelius* in Comment. Sect. VI. p. 105. „Quod a loquentis ore ſcriptio nulla excipi poſſit ab audientibus exſcribenda, neque liber ullus ab audientibus, cum prælegitur, intelligi, niſi librum eundem præ oculis habeant, ut æquivoci vocum ſoni (quæ aurium judicio minime diſtinguunt) oculorum figuras intuentium fide, innoteſcant.„ Equidem *videri poſſet*, quoniam non ſoni exprimuntur characteribus, ſed res: *non* poſſe, ut inter noſtros, excipi dictata alterius, *niſi intellecta*, hoc ordine, ut auditus ex ore dictantis ſonus excitet ideam rei, idea rei in memoriam revocet characterem, qui ſcribendus ſit. Sed vero neque illud neceſſarium eſt: poteſt idea characteris cum idea ſoni ſic

An ex ore dictantis excipi Sinica poſſint?

conjungi exercitio & consuetudine, ut audito sono redeat notitia characteris, sine distincta rei ipsius interveniente idea aut notitia; quemadmodum apud illos, qui linguas discunt exoticas, uti cum Germanus Gallicam, primo quidem idea soni Gallici excitat ideam soni Germanici, & hæc demum ideam rei designatæ; postmodum vero, accedente exercitio, idea soni Gallici ideam rei ipsius animo præsentem sistit sine distincta soni Germanici idea interveniente. Non igitur natura characteris intercedit, quo minus scribi dictata, & intelligi lecta possint: etsi facile confitear, nostram scribendi rationem (exceptis tamen literis similiter sonantibus, aut prope ad similitudinem accedentibus) hac parte commodiorem esse; sonos enim ipsos exprimit. Tum vero, si ad illud *Vir doctus*, uti videtur, respicit, quod ob mutatum accentum significatus variet, & consequenter alius scribi character debeat: difficultatem illud sane indicat, impossibilitatem non infert. Si intelligi loquentes possunt; possunt etiam legentes: si intelligi dictantes possunt; possunt eorum dictata scribi. Quis dubitet? Sed vero hæc de scriptione sufficiant.

§. 28.

§. 28.

Transeo, quæ ad *fata* pertinent *rei litteraria* Sinensis, maxime illud infame factum Imperatoris *Xi Hoam ti*, qui literas delere omnes constituerat; * & artificia, quibus elusum est consilium Tyranni literarum, & conservata posteris librorum copia, vid. si placet *Spizelium* Sect. III. p. 40. & seqq. Unicum superest, de quo dici ex §. 3. oportet. *Mysterium* illud *Sinicum* tantopere prædicatum Sinis, & inter nostros contemtum Ut id ordine fiat, accipe notitiam *librorum China antiquissimorum.* Venerantur illi, ut antiquissima & maximæ autoritatis monumenta Libros *U Kim*, id est, quinque volumina dictos, & *Suxu*, id est, tetrabiblion. Præstant *illi* autoritate & antiquitate; *Hi* usu frequentiori & utilitate. Memorat enim R. P. *Coupletus* in Procemiali declaratione fol. XX. „Quisquis ad literarios gradus & laureas

Libri Sinarum Classici.

* *Duplicis* facto memoriam posteris suam commendare instituit. Anno Imperii 24. *Murum* extruxit celeberrimum, 400. & ultra Leucarum, contra irruptiones Tartarorum: Anno 25. *libros* omnes præter medicos & judiciales cremari: Anno 26. plurimos *literatos* sepeliri vivos jussit. v. R. P. *Coupleti* Tabulam Chronologicam fol. 16. 17. Ita scil. in uno homine conjungitur & institutum *Demetrii Phalerei*, cujus nimium occuparunt spatium statuæ tercentum & sexaginta Athenis positæ, & ingenium *Herostrati*, quos lepide olim Illustris contendit FONTENELLIUS, *Dialogues des Morts Anciens*. Vol. 2. Dial. 1.

laureas adſpiret, eum debere de quinque voluminibus unum duntaxat, quodcunque velit, callere: quatuor alteros debere totos memoria & intelligentia complecti.„ *Primum* QUINQUE VOLUMINUM Libris ſex comprehendit res geſtas Imperatorum *Yao* & *Xun* Legislatorum gentis, Imperatoris *Yu*, qui diluvii Sinenſis aquas magno labore & induſtria in mare derivavit, Imperiumque diviſit in IX. provincias, ſuas illis conſtellationes a Cœlo aſſignavit, tributa ordinavit &c. facta Imperatorum ſecundæ familiæ *Xam* & *Yn* dictæ, præcipue fundatoris *Chim tam*, conſultationes de ejiciendo impio *Kie*; documenta Colai *Chum hoei*; Monita Colai *Y Yn*, de quibus ſpecimen exhibui ſectione opuſculi ultima, & quæ vel ideo digna Europæorum Principum auribus & oculis judicat *Coupletus*, quod annis circiter mille ante urbem conditam prolata fuerint; oratio Imperatoris *Puon Kem* de transferenda ob eluviones fluminis *Hoam ho* ſede Regia: Documenra & monita Colai *Fu Yve*, Principis *Vi-Çu-Ki*, & Colai *Çu-y*: Geſta item familiæ Imperatoriæ tertiæ, *Cheu* dictæ, cum orationibus Imperatoris *Vu Vam*, itemque fratris ipſius, *Cheu cum* & reguli *Ki-Çu*, præter multa alia multorum documenta ad rectam ſubditorum gubernationem,

ad

ad religionem, & alias virtutes ſpectantia. *Secundum Volumen* abſolvitur *odis* & Poëmatibus, quorum pleraque ſub tertia *Cheu* familia condita traduntur: agunt autem de moribus & ſtatutis regnandi: multa in illis laus & commendatio virtutis: multa graviter, ſevere, & ſapienter dicta: aliqua etiam, quæ ab interpretibus ut ſpuria rejiciuntur & fabuloſa: quædam etiam impia & conſequenter apocrypha, ſi fides eſt *Confucio*, qui totam odarum doctrinam ait abſolvi hoc præcepto, *ne quid pravum aut turpe vel cogitetur*. *Tertium* eſt illud myſterioſum *Ye Kim*, de quo *hic* dicere conſtituimus, enumerato prius, ſed breviſſime, ceterorum ordine. *Quartum* eſt a *Confucio* admodum *ſene* conſcriptum *Veris* & *Autumni* titulo, in quo variorum Principum res geſtas, vitia, virtutes, pœnas & præmia narratione proſequitur hiſtorica. Titulum a ſimili petit, quoniam cum virtute ſapientiaque Principis effloreſcit amœniſſimi *Veris* inſtar reſpublica, cum ejusdem ſtultitia & improbitate, ceu *autumnali* cœlo frondes & flores, tota diffluit, marceſcit & conſeneſcentis inſtar emorirur. *Quintum* eſt Memoriale rituum & officiorum, e variis Priſcorum libris collectum a *Confucio*, & decem libris comprehenſum, quibus enumerat ritus antiquos tum ſacros,

cros, tum profanos, officia ſub tribus prioribus familiis obſervari ſolita erga parentes, conjuges, amicos, hoſpites, convivas &c. vaſa & victimas in ſacrificiis; ritus parentales; Muſicam, artem militarem, jaculandi, regendi currus &c. Ajunt hunc libellum ſentire fata ſub Imperatore *Xi Hoam Ti* tolerata. Sunt hæc quinque voluminum contenta. TETRABIBLII *Primus* liber inſcribitur *magna ſcientia*, & regendi artem comprehendit, Autore *Confucio*, Commentatore & Editore *Cem Çu* ſecundo ejus diſcipulo: Hic primus eſt ſcientiæ Sinicæ, a RR. PP. *Jeſuitis* editæ, quem etiam hoc nomine citare ſoleo in opuſculo præcedente. *Secundus* dicitur *de medio ſempiterno*, opus quidem Confucii, ſed a *Çu ſu* ipſius ex filio nepote, *Cemciique* diſcipulo & magiſtro *Memcii* vulgatus atque auctus. Hunc ſecundi titulo citavi in opuſculo præſenti. *Tertius* dicitur *Ratiocinantium colloquia*, totus ex Apophthegmatis Confucii & Diſcipulorum ejus compoſitus. Hunc Tertium vocare ſoleo. Quæ *libellorum* iſtorum *merita* ſint, facile ex allegationibus ſuperioribus intelligant Lectores. *Quartum* de natura, ritibus, moribus & officiis diſputantem debemus *Memcio*. Nemo priſcorum propius ad noſtram philoſophandi rationem dicitur acceſ-

ceſſiſſe Mencio. Acutus ille & copioſior prædicatur, facundiaque ſuperior Confucio, non item innocentia vitæ, modeſtia, ſeveritate & probitate. ***Eum videre*** & conſulere librum mihi ***non licuit.*** Sequuntur enumeratos proxime, ſed longo tamen intervallo libri *Kia Yu*, id eſt, domeſtici ſermones, *Siao hio*, id eſt, parvulorum documenta, *Hiao Kim* de obedientia, *Chum Kim* de fidelitate, quorum pars Confucio & ejus diſcipulis tribuitur, ſic tamen ut cum grano ſalis legendi ſint. Vid. de his omnibus *Phil. Coupletus* in declarat. Proœmiali §. 1. fol. XV --- XXI.

§. 29.

Nihil de ceteris adjungo: *Tertium* ex primis quinque Voluminibus obſcuritate ſua celebrius eſt, quam ut hoc loco negligi poſſit. *Ye Kim* dicitur, & Autori FOHIO adſcribitur, primo gentis fundatori, quem ante hos 4000. Annos vixiſſe tradunt Sinæ, cujusque id inſtitutum fuiſſe putant, ut rerum creatarum mutuos vel nexus & ſocietates, vel diſſociationes & pugnas, adhæc influentias, ordinem, viciſſitudinem mortalibus ob oculos poneret, & per iſtos veluti gradus rudem Sinicæ gentis infantiam ad ſui principii ultimique finis, ſupremæque ſpirituum intelligentiæ notitiam paulatim manuduceret. Conſtat Libel-

Liber *Ye Kim* qualis ſit?

Libellus figuris ſive *lineis duplicis* generis, integris —— & interruptis — —: prioribus *perfectum* ſignificari, poſterioribus *imperfectum* credunt: *Illis* Cœlum deſignari, ſolem, ignem, diem, maſculum, calorem primigenium, proſperam valetudinem, fortunam: *poſterioribus* terram, lunam, aquam, frigus, noctem, fœminam, humorem nativum, morbos, calamitates: *Perfecti proprium* eſſe, manifeſtare ſe, prodire foras, movere, dilatare, rarefacere, aſcendere, augere, aperire; *imperfecti* vero abſcondere ſeſe, introire, quieſcere, reſtringere, condenſare, deſcendere, imminuere, claudere. Ex horum principiorum ſingulis *alia* duo *ſubalterna* exiſtere: *duo* quidem ex perfecto, alterum perfectum majus, ═══, alterum imperfectum minus, ═ ═, *duo* etiam ex imperfecto, ſcilicet perfectum minus ═ ═ & imperfectum majus ═ ═, quas vocant *quatuor* imagines. Ex illis addita nova lineola *octo* exſurgere *figuras*, quarum hæc eſt facies, ordo & ſignificatio:

Cœlum	Aquæ Montium	Ignis	Tonitrua
			
1	2	3	4

Ven-

Venti	Aqua	Montes	Terra
———	— —	———	— —
———	———	— —	— —
— —	— —	— —	— —
5	6	7	8.

Ex illis geminatis ſedecim, tum triginta duæ, tandem ſexaginta quatuor figuræ prodeunt, quas in tabula *Coupletus* exhibet. Combinantur figuræ hoc ordine

1 & 1, 8 & 8, 6 & 4, 7 & 6, 6 & 1, 1 & 6, 8 & 6, 6 & 8:
5 & 1, 1 & 2, 8 & 1, 1 & 8, 1 & 3, 3 & 1, 8 & 7, 4 & 8:
6 & 4, 7 & 5, 8 & 2, 5 & 8, 3 & 4, 7 & 3, 7 & 8, 8 & 4:
1 & 4, 7 & 1, 7 & 4, 2 & 5, 6 & 6, 3 & 3, 2 & 7, 4 & 5:
1 & 7, 4 & 1, 3 & 8, 8 & 3, 5 & 3, 3 & 2, 6 & 7, 4 & 6:
7 & 2, 5 & 4, 2 & 1, 1 & 5, 2 & 8, 8 & 5, 2 & 6, 6 & 5:
2 & 3, 3 & 5, 4 & 4, 7 & 7, 5 & 7, 4 & 2, 4 & 3, 3 & 7:
5 & 5, 2 & 2, 5 & 6, 6 & 2, 5 & 2, 4 & 7, 6 & 3, 3 & 6.

ſcil. hic eſt *liber Mutationum*, *Te Kim* dictus, ſive Tabula figurarum ſexaginta quatuor, quam ex hoc indice componas facillime; ita enim ſcribitur v. g. figura decima quinta, hic 8 & 7. notata, & in explicationibus ſubſequentibus numerantur lineæ, ut ſignavimus ab infima ad ſummam.

Terra
— — 6
— — 5
— — 4
Montes
——— 3
— — 2
— — 1

§. 30.

Quodnam libelli inſtitutum ſit, aut ſenſus myſterii, diverſimode exiſtimari videas. Fuerunt inter Sinas antiquiſſimos, *Explicationes Myſterii Te Kim Sinicæ.*

mos, quid *ad auguria* & *divinationes* illum adhibuerunt; fuerunt, qui *morum regulas* ex eo venati sunt. Omnium primus eam tabulam explicare conatus est Rex *Ven-Vam*, seculo ante Christum natum undecimo: Interpretatus est figuras singulas, sed admodum Laconice, adeoque & perobscure. Ita figuræ *decima quinta*, quam humilitati tribuunt, hæc explicatio est apud ipsum: „Humilitas virtus est quaqua patens latissime; Vir perfectus tametsi principio „lateat jaceatque, obtinebit tandem successum exitumque prosperum.„ Secutus est in officio interpretis Patrem *Ven vam* filius *Cheu cum*; copiosius ille quidem & felicius aliquanto quam Pater singulas seorsim lineolas explanans, non sic tamen, quin pleraque etiam ænigmatice. Accipe exemplum quoque, etsi prolixius: „*Linea prima* (memineris ab imo duci ordinem) designat virum humilem, iterumque humilem, adeoque probum & perfectum: Hujusmodi ergo Viro dum virtuti dat operam tranandа & enaviganda sunt spatiosa & magna flumina certaminum & laborum. Animo tamen ne cadat; quippe tandem feliciter pertinget ad portum meritorum. *Secunda* designat hominem, cujus jam patescit ac sermonibus hominum celebrari incipit humilitas,

quæ,

quæ, ſi pura & ſincera fuerit, ut lucem hanc & famam non ſectetur, nec expetat, tum quidem præclare agetur cum illo. * *Tertia* docet nos, ſi quis magnis meritis erga Regem & Populum conjungat humilitatem, vir perfectus ſine faſtu inſolentiaque perſeverans, is procul dubio ſerius ocyus proſperum habebit exitum rerum ſuarum & dignum labore præmium. *Quarta* Virum nobis deſignat, qui proxime antecedentem virtute quidem vincat & dignitate: veruntamen nullis dum de Republica meritis inſignis ſit; Ipſe tamen ex nulla re non proficiat; quoniam vero ſe meritorum expertem eſſe intelligit, magis & magis prodit ac manifeſtat modeſtiam ſuam animique demiſſionem; adeoque nullo vel iracundiæ vel invidiæ motu concitatur. Linea *quinta* (illis tribui ſolita, qui imperant) docet, quod

* *Unicam* hoc loco addam explanationem *Confucii.* Ita ille ſententiam interpretis perſequitur: „Quod, uti imago ſignificat, pateſcat & celebretur humilitas illa, quod pura & germana ſit ac ſolida; quod præclare agatur cum illo, qui ea ſit prædirus: ideo fit, quia in medio corde, & non in ore duntaxat, vel exteriori quadam ſpecie inani virtutis ſimulacro illam obtinet.„ Ceteras Confucii expoſitiones, congruas illis, quas *Cheu cum* dederat, vitandæ prolixitatis cauſſa liceat ſicco hic pede tranſire. Quid intereſt, eandem rem bis legi eodem loco?

Princeps illa moderatione animi modestiaque præditus, non expendat opes & vires Imperii, ut suos habeat sibi devinctos & obsequentes, quia scil. tanta virtus, liberalitate quamvis profusa, & robore militari quovis potentior, omnium animos & studia & voluntates ipsi conciliat ac subdit. Quodsi tamen existant, qui exuant humanitatem, abjiciant jus omne, tantæque virtuti parere nōlint: tunc certe par erit adhibere opes & arma domandis & frangendis rebellibus; & tunc quidem nihil non perficiet armata virtus, & virtus tanta. *Suprema* linea designantur privati Principis, magna quidem illa & qua late resplendeat & celebretur, humilitas: ceterum, quod ad usum spectat, limitibus angustioribus conclusa, privatæ scil. modicæque ditionis: quippe cum cœlum ei non destinet supremam dignitatem, quæ propria Imperatorum est; caret utique amplitudine illa tam opum, quam terrarum, & clientum ac subditorum multitudine, quæ omnia sequi solent Imperatoriam majestatem. Quocirca, si quando statuat is, e re sua esse conscribere militem, habere exercitus in armis: non alio sane consilio id faciet, quam ut debellet rebelles, contineatque in officio suæ ditionis & regni po-

populos.„ Nolo *Confucianum* addere *Commentarium*; namque & is expoſuit eundem libellum, ſecutus anteceſſorem *Cheu cum* copioſe & moraliter, ſic tamen ut ipſi ſibi non ſatis fecerit, in ſenio adhuc ſuo *novam* in hæc myſteria commentationem animo agitans, ſed non perficiens. Explicantur omnia morali & politico ſenſu, ſic prorſus, ut univerſa, quæ ſpectant ad mores & officia Principum, Clientum, Parentum, Liberorum, Conjugum, quæ item adverſus hoſpites exteros, hoſtes ſervanda; qualis denique & quanta veneratio ſpiritibus debeatur; quanta cum religione & conſtantia par ſit obtemperare cœlo enumerentur, alia quidem aliis copioſius, ut tamen nulla non attingantur. Ita *Coupletus*, ex quo *priora omnia* deſcripſimus, in Declar. Procemiali §. 8. fol. LIII. cujus etiam narratione conſtat, *Confucium*, etſi concedat exiſtimaſſe Priſcos „eam rebus quibusdam inditam eſſe vim & naturam, qua eventus rerum vel fauſtos vel infauſtos diu ante mortalibus enunciare valeant, ipſum tamen nulla ſortium vel auguriorum habita ratione, non ſecus, ac ſi vanum quid eſſent & inutile, certe quidem ad ſe neutiquam pertinerent, rationis unius ductu & lumine contentum, de una

& sola virtute laborasse, & huic uni dedisse operam; quin etiam in Commentario suo testari, Priscos sanctos *eo* maxime *consilio* librum istum scripsisse & illustrasse commentis suis, non ut auguriis & divinationibus esset usui, sed (uti *Cham* Çolaus exponit) ut cognoscerent homines, quam a Cœlo naturam acceperint, eamque ceu ducem & magistram sequerentur; deinde vero & cœli mandatum seu supremi Numinis providentiam, a qua natura processerit, perspectam haberent. Vid. Declar. Procem. §. 6. fol. XLV. & XLVI.

§. 31.

Expositio mysterii Leibnitio-Bouvetiana.

Ista quidem ex sententia Sinarum, magna in figuris istis aut mysteria, aut virtutum documenta quærentium. Mutata est inter *Europaeos* scena, Illustris quidem *Leibnitii* facto. Invenerat ille superiori exeunte seculo *Arithmeticam*, quam vocat, *Dyadicam*, qua mediantibus duabus tantum figuris 1. & 0. docuit numeros scribere omnes, & computationum genera omnia absolvere, majori quidem, quam in decimali arithmetica fit labore, sed faciliori longe artificio. * Exponit id calculi ge-

* Ne quis *Arithmeticæ ignarus* miretur, posse omnes numeros scribi duabus ciphris, meminerit, arbitrarium

genus in Epiſtola ad *Sereniſſimum Ducem Luneburgo - Guelpherbytanum* RUDOLPHUM AUGUSTUM, 2. Jan. 1697. data, atque in eo memorat, ſe non ita pridem illud communicaſſe cum R. P. *Grimaldi*, Præſide Tribunalis Mathematici in Imperio Sinenſi, quo cum olim Romæ verſatus fuerit, *eo* quidem *fine*, ut fortaſſis Imperator Maximus, quem audiverit a *Verbieſto* Arithmeticam magna cum voluptate noſtratem didiciſſe, eo quaſi ſymbolo creatio-

trarium eſſe, quot figuras adhibere ad ſcribendos numeros velimus? Uſus *decem* introduxit, & proportio decimalis, in collocatione figurarum quoad earundem ſitum obvia, ſequitur ex hoc aſſumto. Idem in Arithmetica ſua *Tetractica* Celeberr. olim *Weigelius*, ſed alio inſtituto, annotavit de figuris ſive ciphris quatuor. Neque id hodie vel tyronibus difficile eſt, ſcribere Numeros omnes, etſi duas ſolum, aut tres, aut quatuor, vel quot velis, ciphras adhibere jubeas. Non patitur hic locus plura. De Arithmetica Dyadica, ſive binaria, vid. *Leibnitium* in Memoir. de l' Academ. 1703. p. 105 - 117. *Ill. Fontenellium* in Hiſtoire de l' Acad. 1703. p. 71 -- 75. Celebetr. Dn. *Dangicourt* in Miſcell. Berolin. A. 1710. p. 336. & ſeqq. Et, qui *in ſpeciem* diſſentiunt, Viros Eruditiſſimos, *Jo. Bernh. Wideburgium* in Diſſertat. de Præſtantia Arithmeticæ Binariæ præ Decimali, Jenæ A. 1718. 16. April. habita, atque *Jo. Frid. Weidlerum*, in Diſſ. de Præſtantia Arithmeticæ Decadicæ præ Tetractyca & Dyadica, Witebergæ 1719. VII. Non. Jan. defenſa.

tionis ** ad Christianæ Religionis præstantiam meditandam excitetur. Eandem Arithmeticam transmisit ad R. P. *Bouvetum* Jesuitam Gallum, Pekini commorantem: Ille clavem hanc interpretatus est figurarum FOHI: atque in Literis ad Leibnitium datis Anno 1701. 14. Novemb. magnam illam sexaginta quatuor figurarum tabulam communicavit; quæ, *Leibnitio* judice, dubium non relinquit, quin vera sit hæc interpretatio & *Bouvetus* solverit ænigma antiquissimum, ope scil. eorum, quæ primus ipse tradiderit. Vid. Memoires de l' Academie Royale des Sciences 1703. p. 110. & 111. edit. Amstel. Equidem *id certum est*, si Lineam non interruptam interpreteris per I, interruptam vero per O, *con-*

** *Creationis* symbolum ideo *Leibnitius* vocavit arithmeticam suam, quod ex nihilo omnes per solam unitatem numeri exsurgant: eidemque rei ad posteros propagandæ numum destinaverat *Serenissimus Dux* RUDOLPHUS AUGUSTUS; intercedente ipsius fato non excusum. *Typum* ejus non inelegantem exhibet Celeberrimus Jenensium *Mathematicus*, JO. BERNHARDUS WIDEBURGIUS, in fronte dissertationis de præstantia Arithmeticæ Dyadicæ. Explicationem ejus, ab ipso traditam Leibnitio, legas in Epistola ante citata, quam excudi curavit Vir Doctissimus, HENRICUS KOEHLERUS, additamentis Monadologiæ Leibnitianæ ab ipso editæ Anno 1720. p. 103. & seqq.

o, *consentire figuras* Sinicas cum scriptione Dyadica numerorum ab 1 ad 64. ex amussim, quin & *ordinem octo* figurarum superius exhibitarum convenire exactissime. Incipiendo enim a figura octava & pro interrupta ponendo ciphram, pro continua linea unitatem, ordo idem erit, qui est in Arithmetica Dyadica, ubi ab nihilo numeramus ad septenarium.

000	0
001	1
010	2
011	3
100	4
101	5
110	6
111	7

Fateor itaque, ad *maximum* hæc *probabilitatis* gradum assurgere; neque dubitarem, id pro certo habere cum Ill. *Leibnitio* l. c. & celeberr. *Wideburgio* in Diss. cit. §. 12, p. 23. Si uberiori de isthac tabula cognitione gauderem, ut liceret intelligere, num is *ordo figurarum* 64. perpetuus sit, quem ex *Coupleto* tradidi in antecedentibus §. 29. *Non* enim *illa* numerationi Dyadicæ Tabula *quoad ordinem* consentit, etsi perfecte respondeat *quoad figuras*. Puto autem figuras varie a Sinis collocari; ut de octo prioribus id Coupleti testimonio cognovi; non igitur argumentum, a neglecto in *Coupletiana* tabula ordine Dyadico ductum detrahere interpretationi *Bouvetiana*. Si vera hæc est, ut sane est verosimillima, expositio; si Sinis illa approbari potest: dignationem Europæis concilia-

bit

Digitized by Google

bit in oculis eorundem; siquidem deperdita inter ipsos, & infeliciter multis quæsita conatibus, explicatio mysterii antiquissimi non potest restitui sine veneratione Inventorum in Gente omnium adversus antiquitatem religiosissima. Vereor autem, ut valere jussis mysteriis annuant interpretationi nimium simplici & planæ. Sed de illo viderint, quorum interest! Ego manum hic de tabula!

FINIS.





INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

D.

E.

Glo-

H.

I.

 In-

L.

M.

Me

N.

O.

pro-

S.

Ta-


INDEX.

T.

V.

pag.





Digitized by Google

ERRATA.

Pagina	§.	Linea.	Lege
303.		1. 2.	pro*remem̄oratiuis* l. *memorialibus*
305.	Not.	1.	aliis.
308.		ult.	tegulam ; & ; mirabantur
311.	Not.	10.	quâ
345.	Not.	1.	duplici.

Digitized by Google

ERRATA,

quæ ſenſum impedire poſſunt, ita corrigent Lectores Benevoli.

Pagina	§	Linea.	Lege.
18.		4à fine	pro *regia* l. *gia*.
41.	40.	5.	continet
46.		15.	lego, &
74.		ult.	pro *ſeu* l. *ſed*
80.	69.	1.	appoſita
89.		2.	poſt *tueri* fiat *comma*,
93.		8.	benevolentiæ
95.		3.	pro *non* l. *on*
99.	84.	2.	deleatur : *de*
108		6.&13	Tum vero; & ; optata modo
151.		7a fine	pro *de* l. *&*
168.		10.	teneritudo
192.	162.	4.	quantam
203.	Not.	1.	ſtadiorum
208.	177.	13.	uti decet
220.	187.	12.	invidis
240.	210.	4.	juvanda
ibid.		6.	ſic lege : illud eſt Principis *Cheu cum* ſeculo A. Chr. No. XII. & alterum adhuc antiquius, Imperatoris *Yù* ſeculo A. Chr. N. XXII. Prioris hæc
ibid.		ult.	*Chim Vam*
295.	6.	ult.	Uber

Pa-



Digitized by Google

